Copiese la portada

M. S. 4.º pasta, con 466 paginas foliadas bien tratado, completo.

R = Elementa Philosof.

S. Calisto Papa mar. 14. Oct.
Tanto vno mas se allega à Dios, quanto mas à su proximo. *S. Aug.*
Frequencia de Sacramentos.
Por el fruto dellos.

ELEMENTA PHILOSOPHIÆ

EX PHILOSOPHORUM CŪ
VETERUM, TUM NOVORUM
SCRIPTIS COLLECTA.

Á D.D. PETRO EM
MANUELE
PRIETO
PRESBITERO,
REGIA HISPALENSI
UNIVERSITA
TE
DICTATA.

PRÆFATIO.

Quisquis rei hujus, quæ Philosophia græcè dicitur, latinè verò studium, et amor sapientiæ, atque cujus elementa vobis nos, carissimi Adolescentes, tradere instituimus, considerare volet principium, reperiet id ē santissima causa natum, atque optimo profectum fonte, Deo scilicet O. M. omnium certè bonorum auctore, et largitore. „Est enim Philosophia, ut ajebat olim Tullius, omnium mater „artium; morum disciplinæ quæ magis„tra, nos ea primum ad Dei cultum, de„inde ad jus hominum, quod in huma„ni generis societate consistit, tum ad mo„destiam, et animi magnitudinem eru

„dit, à mente tanquam ab oculis caligi-
„nem fugat, vt omnia supera, infera, pri-
„ma, media, ultima, videamus. (a) Nihil
est enim ipsi visum, ac optabilius reperire,
nihil prestantius, nihil homini melius, ni-
hil homine dignius, „nam sive oblectatio,
„inquit, queritur animi, requies que cu-
„rarum, sive ratio constantie, virtutisq.
„perquiritur; aut hęc ars est, aut nulla
„omnino, per quam eas assequi, et obtine-
„re posimus. (b) Nedum igitur donum,
quod divino quidem Platoni visum est,
sed omnium habenda est Philosophia, na-
turalium donorum exellentissimum.

Hujus modi autem donum Ada-
mo, qui cęterorum magister hominum, et

(a) Lib. 1. Tusc. qq. n. 26. (b) Lib. 2. de officijs. Cap. 2.

institutor erat futurus, Deus creditur, cum illum condidit beneficentissimus concessise; cum enim primus homo, ait Doctor „Angelicus, non tantum secundum corpus „ad aliorum generationem, sed etiam se-„cundum animam ad aliorum instruc-„tionem, et gubernationem perfectus sit „institutus; eum oportet habuisse notiti-„am omnium, quę sciri posunt, qui enim „scientiam non habet, neminem poterit „erudire. (c)

Quin etiam id ipsum sacris voluminibus comprobatur, apud Ecclesiasticum enim reperietis, „primos hominum paren-„tes intellectus disciplina repletos, mala, bo-„naque novisse, ac efectoris mundi, molitoris

(c) 1. pars sum. theol. Q. 94. a. 3.

„que Dei opera intellexisse. (d) Ast cum primus ille humanę gentis parens, ob sanctissimam a se infractam Dei legem, eam, quam ab ipso Deo acceperat rerum scientiam privatus fuisset, in easdem que nescientię tenebras posteritatem secum omnem traxisset, qui deinceps nati sunt homines, hi, non alius modi amissam, ac pene extinctam, omnino recuperare Philosophiam, quam summo studio, ingentique labore potuerunt. O culpam primi hominis infestissimam! miseram, juvenes, ac infelicem humani generis conditionem! Quam enim si audiens fuiset Adam conditori, rerum scientiam assequeremur facillime; ad eam nunc nisi per vigilias, ac solitudines, jejunia, dolores, sexenta que alia pęna-

rum genera pervenire non possumus.

Jam vero, ut eo redeat, unde aberraverat [illegible] cursu, cum nulla tam abjecta, tam que ignobilis, neque tam immanis, tam barbara, quae non suos gloriari Doctores, et Philosophos potuisset, quibus tamen primas acceptam referre debemus Philosophiam Caldaei fuisse videntur. „Antiquissimum, „ut ait Tullius, Doctorum genus, quod ip„se astrorum conditione, solertia que „ingeniorum antecelluisse tradit: (e) ii„dem autem diuturna siderum obser„vatione scientiam putantur effecisse, ut prae„dici posset, quid cuique eventurum, et quo „quisque fato natus esset. (f) Quamquam is„tam non scientiam ego dixerim, sed ins-

(e) Lib. 1. de Divin. c. 41. (f) Lib. 1. de Divin. c. 1.

nientium hominum delirationem fabulis adversa catholica detestatur Ecclesia; horum porro disciplinę per Mesopotamiam ad Assiriam, Syriam longè, latèque pervagasse; ad Persas, et Arabes, hinc ad Egiptios, à quibus tandem ad Græcos pervenere. Quorum tamen postremis dubitat nemo, quin præcipua Philosophię gloria tribuenda sit, quòd omnium solertissimè singulis ejus partibus operam dederint, posteritatisque memorię consecraverint, neque alia quidem videtur esse causa, cum illustriores Philosophorum sectę à Græcis repetantur.

Hi ergo Philosophi plurimas in sectas dicuntur abiisse, quarum duo præcipua extitere capita scilicet Jonica cui Tales præfuit Mileti Jonię Urbis natus; et Ytalica

istius medi nominata, quod Pitagoras illius institutor in Italia Philosophiam professus fuerit, a Jonica autem Socratis tempore aliæ benemultæ manavere sectæ, quarum celeberrimæ Sinica, et Academica.

Hujus princeps extitit divinus ille Plato Socratis auditor; cujus Philosophia ad octavum circiter Ecclesiæ seculum primas detinuit: quamquam antiquiores ipsius Ecclesiæ Patres sectati sunt: in his nominantur potissimè Justinus Martir, Clemens Alexandrinus, Basilius, Gregorius Nacianzenus, quem Theologum vulgò nominant, S.^{ti} Hieronimi præceptorem, qui græci quidem sunt. E latinis veri Patribus Magnus recensetur Augustinus, qui Platonis doctrinam ab Hierocle, Porphirio qui corruptam emenda-

vit; et ad refutanda Ethnicorum deliramenta sapienter adhibuit, ac feliciter. Et Platonem quidem multi audierunt; ipsis tamen omnibus longè præstitisse creditur Aristoteles Stagiris Macedoniæ Urbe ortus, qui sectam instituit Peripateticam appellatam, ob id quia ejus discipuli inter ambulandum philosofantur, „ qui enim erat, ait Tullius, „ cum Aristotele Peripatetici, quia disputa„ bant deambulantes in Liceo. (g) Scolastica item eadem vocata secta est, propterea quod in Scholis à noni sæculi initio, cum Arabes Africæ, et Hispaniæ latè dominabantur, ad nostra usque tempora Aristotelis de Philosofia libri publicè lecti sunt.

Cinicæ verò sectæ dux fuisse dicitur An-

(g)

tistenes Diogenis præceptor, ab eaque Stoica proficiscitur, quæ auctorem habuit Zenonem Scyticum, id autem nominis est sortita, quòd Zeno in stoa latinè Porticus, suæ dogmata Philosofiæ traderet. Atque hæc de Jonica.

Ad Ytalicam quòd attinet, ea in plures quoque sectas est divisa, quarum exeluisse legimus Scepticam, et Epicuream, illa ducē habuit Pirronem, cujus discipuli ideo sunt Sceptici nominati, quòd nihil penitus affirmarent; quinimò in inveniendis argumentis dubitandi, ambigendique rationibus etiam in rebus evidentissimis tota eorum industria versabatur. Postremam condidit Epicurus, cujus doctrinam latinis carminibus reddidit Lucretius; nostris ferè temporibus illustravit Gascendus, ac emmendavit.

His accedunt recentes aliæ Philosophorum sectæ, quarum potissimè celebrantur Gascendistarum, et Cartesianorum; illi clarissimū, maximique ingenij virum Petrum Gascendū Presbiterum, in oppido propè Dinam in Gallijs natum, Ecclesiæque Diniensis Præpositum ducem agnoscunt: his autem anteit Renatus Cartesius Hagæ Turonum illustri loco natus. Alia denique mihi exciderat adolescentiorum Philosoforum secta perillustris, quorum extitit coriphæus Ysaacus Neutonus, grande illud Britanniæ decus, et cui nulla sæcula parem tulerunt, ac sic quidē et nata, et ad nostra usque tempora progressa Philosofia est.

Si autem notionem ejus ac naturam inspicere velimus, nec quidquam aliud Phi-

losofia est, nisi „certa quædam, et ipsius Dei,
„ejusque operum mirabilium, et earum rerum,
„quæ homines attingunt, cognitio. Quocirca
definiri Philosofia valet, „rerum divinarum,
„et humanarum, causarumque, quibus hæ
„res continentur scientia, naturæ limitibus
„circumscripta. Huic enim scientiæ, seu de
rebus agat divinis, sive in his, quæ homini-
bus sunt propria versetur: loquar apertius:
sive immensam, et interminatam Supremi
numinis naturam, perfectissimaque attri-
buta consideret; sive cæteris spiritibus cog-
noscendis incumbat, sive cælos, sive terram,
sive aërem, sive aquam, sive tandem cæte-
rarum, quæ pulcherrimam mundi molem
integrant, rerum conditionem rimetur, ul-
tra proprios naturæ fines progredi non licet.

14 Neque vero quamvis rerum cognitio-
nem dixeritis Philisofiam; sed eam, quæ cum
vera sit, certa, et perspicua; tum causas illas,
rationesque complectatur, quamobrem ita
ea sunt, quæ mente consequuntur. Talis nam-
que cognitio scientia est, præterea nulla.

Philosofiæ notionem partes excipiunt,
Metafisica, Phisica, Logica, Ethica. Harum
prima „Dei O. M. spiritualiumque ipsius
„operum naturam contemplatur. Corpora-
torum autem secunda. Tertia demum, et
quarta circa ea versantur, quæ hominibus
propria sunt, mentis scilicet cogitationes,
quas regit Logica, ad verumque dirigit;
voluntatesque, sive voluntatis, ut dicitur,
actus, quirum honestas, et probitas curæ
sunt Ethicæ.

Quę cum ita sint, hoc velim, nedum vobis, sed his omnibus, qui scripta nostra legerint, contingat, ut ea Deum mente Philosofiam hominibus concessisse noverint, quo suas ipsi mentes exornaverint, sensa perficerent, veritatem ab errore discernerent, virtutes colerent, tamque pręclari muneris auctorem benedicerent, collaudarent, diligerēt. Hoc autem vel ipsis profecto Ethnicis cognitum est quodammodo, atque persuassum. „Vtenim si Grammaticum se professus quisquam barbari loquatur, aut si absurde canat is, qui se haberi velit musicum hoc turpior, ait Tullius, sit, quod in eo ipso peccet, cujus scientiam profitetur; sic Philosofus in ratione vitę peccans, hoc turpior est, quod in offitio, cujus magister esse vult, labitur

"artem, qui vitę professus, delinquit in vita. (h)

In explicandis autem Philosofię partibus ita versabimur, ut à Logica, quę cęterarum organum est, instrumentumque scientiarum initium ducamus: deinde quę vestra scire maxime interesse viderimus, ea vobis primum ex Ethica, ex Phisica postmodo, tum ex Methaphisica excerpta breviter quidem, ac perspicuè, quoad facultas feret, tradere pollicemur. Quę quidem omnia, Deo scilicet volente, quatuor omnino libris erunt nobis absolvenda triennio. Id quoque huc est addendum, quod sciatis velim, quod libenter, quod simpliciter, candidèque profiteor; non meo me judicio in ejusmodi rebus ingenio usum, quippe nostrum quod sit, q̄d

(h)

ve proprio, ut ajunt, Marte invenerimus, vix quidquam, prӕterquam delectum, distributionem, ac ordinem reperiatis; sed eorum, qui filosoficis scriptionibus claruere auctorum veterum, et novorum.

Neque interea id prӕtereundum esse ducimus, nos videlicet, si quid inscienter, quod â sanctissimis, firmissimisque catholicӕ fidei dogmatibus, ecclesiasticisque sanctionibus, quoquomodo discrepant, sequuti viderimus, monitos ab aliquo sententiam statim commutaturos. „Non enim, ut ajebat olim „Tullius, parum cognoscere, sed in parum „cognito stulte perseverare turpe est; prop„terea quod alterum communi hominum „infirmitati, alterum singulari uniuscu„jusque vitio est attributum. (Y.) Nunc autem

nè longius, quam par est, oratio progressa videatur; de Logica, quam nos primam diximus traditûros esse, dicamus.

(2.) Lib. 2. de invent. c. 3.

ELEMENTORUM PHILOSOPHIÆ LIBER PRIMUS

LOGICAM COMPREHENDENS.

Quam igitur Gręci Logicen, seu Dialecticam vocavere, eam Tullius disserendi rationem interpretatur. (1) Est namque Logos, ut ê gręco vertam verbum, sermo, ratio: Dialogizo autem disseri, disputo, discepto: sermocinandi, disputandi ac facultatem non quidem ore, sed mente intelligere debeatis, quocirca optimè definiri solet, cum ea esse dicitur „disciplina precepta, leges que tradens, qui„bus humanę mentis cogitationes in vero

„rectè cognoscendo, ordinatimque exponen-
„do diriguntur. Verbo alii cogitandi arte,
eam definiunt, quod reddit eodem „Est
„enim ars nihil aliud, quam præceptio.
„ quæ dat certam viam, rationemque fa-
„ciendi.(2.) Ejus autem utilitas, et excellen-
tia vel eo tantum ad evidentiam ostendi-
tur, quod nullus nec extiterit, neque exis-
tat ingenuis artibus eruditus, quin maxi-
mo eam opere commendaverit, et commen-
det, quapropter hæ res, quæ aliquos re-
morari solent, nos minimè retardabunt.

Hujus præterea eximiæ artis inven-
tor fuisse dicitur Zeno Eleates auditor
Parmenidis; ideo quod primus ipse habe-
atur, qui ea omnia Logicæ præcepta, quæ
ab antiquioribus Philosofis fuerant sta-

bilita distinctè, ac enucleatè in unum re-
dacta litteris consignaverit. Eamdem à
Zenone Socratem, ab hoc Platonem legi-
mus accepisse; sed nullus tamen nec fussi-
us, nec accuratius persequtus est Aristo-
tele: qui totam centum, et viginti tribus
comprehendisse dicitur libellis, quorum
septem decim extant, reliqui desiderān-
tur. Neque hic prętersam Franciscum
Baconem, Petrum Gascendum, Rena-
tum Cartesium, Joannem Lokium, An-
tonium Arnaldum, ejus opinor auc-
torem opusculi, quod inscribitur <u>ars
cogitandi</u>, aliosque juniores Philosofos
quampluximum Logicę cum incrementi,
tum luminis attulisse.

Partes autem in quas eam tribuere

statuimus, iis sanè cogitationum generibus, quibus humana mens utitur (quoniam ipsę integra sunt illius materies) respondebunt. Sunt autem mentis nostrę duo tantum cogitationum genera, perceptionis unum, alterum judicii; sed ea nos in quatuor, quod perspicuitati, ut consultant, multi faciunt, dispecimus, perceptionis, juditij, ratiocinationis, ac methodi; quam vocare latinè posumus ordinem, dispositionemvè. Duę namque postremę cogitandi rationes ad secundam scilicet juditium, cujus certa quędam sunt genera, rediguntur, quibus ita res se habet opinor, vt vel juditium ipsum quoddam sit perceptionis genus.

Totius itaque primi voluminis

distributio erit quadripartita: prima ut
pars perceptionem, altera judicium, ra-
tiocinationem tertia, quarta methodum
complectatur; his tandem accedent dis-
putationes aliquæ, quibus et Logicæ præ-
cepta magis illustrentur, et ad rectam,
convenientemque disceptandi ratio-
nem informentur adolescentes in Phi-
losofia tirones. Sed jam tempus esse vi-
deo, ad id, quod instituimus aggredi.

LOGICÆ
PARS PRIMA
DE PERCEPTIONE.

Primum humanæ mentis cogitationum genus earum est, quæ et notiones, et perceptiones, et conceptus, et aprehensiones, et ideæ dici consuerunt. Ideæ tamen perceptionisque nominibus frequentius utemur, ne à plerorumque Philosoforum more recedere videatis. jam quidquid ideas maximè attingere sumus arbitrati, quinque omninò capitibus persequemur. Primum enim ipsarum naturam; varia deinde genera; tum Philosoforum recentiorum, ac veterum categorias; post attributorum oppositionem, atque rerum, ut ita dixerim, pr

oritatem, *posteritatem*, ac *simultatem*; idearum denique signa, neque brevitatis immemores, explicabimus.

CAPUT 1.^{m}

DE IDEARUM NATURA.

Est ergo idea, vel perceptio nuda rei alicujus menti facta repraesentatio, unde is Dei, Hominis, Solis vè ideam habere dicetur, qui Deum, Hominem, Solem suae menti repraesentavit. Nudam propterea dixi, quod de re percepta nihil mens affirmet, aut neget. Repraesentari autem menti rem aliquam, nihil est aliud, quam ipsius rei *similitudinem*, *formam*, vel *imaginem* adesse menti; et modus quidem, quo res mens nostra percipit, speculi exem-

plo declaratur quodammodo: ut enim speculum rei sibi adversæ imaginem excipit, sic mens nostra rei, quam percipit, imaginem quamdam, et similitudinem inse ipsa facit, per quam rem ipsam cognoscit.

Et namque animadvertendum, rerum tam existentium, quam posibilium perceptionem, non extra nos fieri, sed in nobis, id autem esse nequit, nisi intima mentis conjuntione aut ipsis cum rebus, aut cum imaginibus earumdem: cum rebus conjungi nequit, ut liquet; cum earum igitur imaginibus, quæ vices rerum gerant, et in quibus res ipsas percipiat, conjungatur, oportet.

Neque vero omnis perceptio efficitur uniusmodi, aliter enim illa fit, quæ dicitur

intellectio, atque illæ aliæ, quarum una imaginationis, altera sensationis, nomine à Philosophis designatur. „Est namque „sensatio rei sensibilis in externum ali„quem sensum agentis perceptio. Eo autem ordine perficitur, ut primum res objecta sensui, hunc feriat, moveat, et immutet; ut lux, color vè oculos; deinde motus iste, vel immutatio, quam vocant passionem, à sensu ad cerebrum nervis pervehatur; cum mens, quæ hac lege unita est corpori, idque cum eo comercium habet, ut certa vestigia cerebri certæ animi perceptiones sectantur, et versa quoque vice: afficitur quodammodo, estque hæc afectio illud ipsum, quod dicimus sensationem.

Sequitur imaginatio „quæ perceptio

„est rei non sensibilis modo, sed absentis,
„et alias objectę sensibus, horumque cog-
„nitę ministerio. Mens quippe res ejusmo-
di percipit in imagine quadam corporea,
et veluti umbra, quę ex earumdem sen-
satione cerebro impressa, et, ut ita loquar,
insculta, ac depicta relinquitur. Simula-
crum autem istud dicitur phantasma:
quamquam eo quoque valet imaginatio,
ut res aliquas incorporeas instar earum,
quę corporatę sunt nobis representemus;
harumque, et illarum imagines diversè
augeamus, minuamusve, copulemus, aut
disjungamus.

Restat nobis intellectio, quę ima-
ginationi, et sensationi pręstat, quoniā
tota intus in mente perficitur; estque eju

rei perceptio, quæ nullo potest exhiberi pantasmate, nullis corporeis imaginibus comprehendi. Et hoc quidem cognoscendi genus ideæ, perceptionis vè nomine propriè significatur.

Trium autem, quas proximè docuimus percipiendi rationum pulchrius, et apositius exemplum afert Augustinus, quam vt illud prætermitere debeamus. „Ecce, „inquit, in hoc uno præcepto, cum legitur, „diliges proximum tuum, tamquam te ipsum, tria genera visionum occurrunt, u„num per occulos, quibus ipsæ literæ viden„tur; alterum per spiritum hominis, quo „proximus cogitatur absens; tertium per „contuitum mentis, quo ipsa dilectio intel„lecta conspicitur. In hisce tribus generi-

„bus primum est omnibus manifestum, in
„hoc videtur cęlum, et terram, et quęcumque
„in eis conspicua sunt occulis nostris. Nec
„illum alterum, quo absentia corpora co-
„gitantur, dificile est insinuare; quippe
„cęlum, et terram, et ea, quę in eis videre
„posumus, etiam in tenebris constituti cogi-
„tamus; ubi nihil videntes occuli corporis,
„animo tamen corporeas ipsarum rerum
„imagines intuemur. Tertium verò illud,
„quò dilectio intellecta conspicitur, eas res
„continet, quę non habent imagines sui si-
„miles, ut gaudium, pax, benignitas, boni-
„tas, et cętera hujusmodi, quibus mens ex-
„appropinquat, et ipse Deus, eę siquidem
„nullas ferunt formas similes corporum.
„Primum ergo appellemus corporale, quia

„per corpus percipitur, et corporis sensibus
„exhibetur; secundum spiritale; tertium
„verò spiritale, quod mentis est proprium,
„ac excelentius. (1)

Cum itaque vis, qua mens pollet percipiendi, trifariam exerceatur per sensationes nempe, imaginationes, intellectiones; tribus etiam nominibus à Logicis appellatur. Sensus namque dicitur facultas vè sentiendi, cum primum. Phantasia græcè, latinè spiritus, cum secundum. Mens denique intelligentia, vulgò intellectus, cum tertium perceptionum genus exsequitur. Atque suam illam sentiendi vim per quinque humani corporis instrumenta mens exerit: occulis namque ipsa videt, auribus audit,

(1) Lib. 12. de Gen. ad litt. c. 36. et 23.

naso odoratur, lingua gustat, partibus tandem corporis omnibus tangit. Perapta hic illa Tulliana „ Nos, non occulis, inquit, cer„nimus ea, quę videmus. Neque enim est ul„lus sensus in corpore, sed vię quasi quędam „sunt ad occulos, ad aures, ad nares, à sede „animę perforatę. Itaque sępe aut cogitatio„ne, aut aliqua vi morbi impediti, apertis, „atque integris, et occulis, et auribus nec vide„mus, nec audimus: ut facile intelligi possit, „animum et videre, et audire, non eas par„tes, quę quasi fęnestrę sunt animi. (1.) „Con„cinit Augustinus, neque enim corpus, in„quit, sed anima per corpus sentit, quo velut „nuntio utitur ad formandum in se ipsa, „quod extrinsecus nuntiatur. (2) Nomen in

(1) Tusc. qq. lib. 1. cap. 20. (2.) De Gen. ad litt. lib. 2. c. 24.

super aliud vis illa ipsa percipiendi sortitur, quippe cum mens non ea modo cogitet, ac intelligat, quæ sunt extra semetipsam, verum etiam se noverit, suasque cogitationes percipiat, istiusmodi cognitio, intima vocatur sensatio. Vis autem, facultasvè sentiendi, à qua profluit sensus intimus. Quod ad idearum naturam attinet, hactenus; earum varia genera videamus.

CAPUT 2.m DE VARIIS IDEARUM GENERIBUS.

Ac idearum quidem divisio à tribus est fontibus derivanda, ipsarum scilicet origine, natura, repræsentatione; quod ad originem attinet idearum, non nullos sci-

mus esse Philosophos, qui Cartesii partes tenentes, tria earumdem genera ponant. Unum est earum, quas idcirco vocant „Innatas, quia ipsas menti Deus imprimit opinantur, seu cum illam condidit, corpori, modo sibi tantum noto, conjungit; sive, ut „quidam ex eis mallunt, quotidie toties „nimirum, quoties percipit. In quibus Dei, mentis, omnium incorporeorum ideas, primorumque principiorum notiones reponendas existimant. Prima autem principia, ita „certę, ac perspicuę sunt veritates, ut simul „atque sese menti offerunt, notionem ejus [illegible] queant, exempli causa hęc: idem simul esse, ac non esse, non potest. Innatę autem ideę existant, necne, res est magna disputatione digna, quam in Methafisicam, quam

attingit, diffeximus.

Alterum est earum, quas adventitias nominant; ob id quia sensuum ope, ministerio que comparantur: ut idea coloris, soni, odoris, cętere corporatarum rerum notiones. Tertium denique genus illarum est idearum, quas dicunt factitias, propterea quod ex adventitiis ab ipsa mentis conjunctione, vel separatione cuduntur: ut cum e montis, auri que ideis, una montis aurei componitur idea. Adventitię plerę que ideę reales, ut dixerim, sunt, quibus nempe extra mentem objecta respondent. Contra factitię, quę plerumque arbitrarię sunt vacuę, nullum extra nos objectum habentes eas, cum erunt ejusmodi commentitias, vel rationis entia cum Scolasticis dicitote.

Sunt autem ideæ, natura ipsa, immaterta[illegible] phantasticæ, et intelligibiles, directæ, reflexæ simplices, ac compositæ. Omnes corporearum rerum, quæve instar corporearum percipiuntur, ideæ nominantur phantasticæ. Intellectuales, seu intelligibiles illæ sunt, quibus nec corpora repræsentantur, nec instar corporis quidquam; ut entis, potentiæ, virtutis, aliæ denique similes. Directæ vocantur, quibus aliquidpiam primitus menti repræsentatur. Reflexæ quibus nos percipere animadvertimus. Reflexio enim est cogitationis concientia, sive ipsius cogitationis cogitatio; quare reflexa idea conscientiæ nomine donatur interdum. Tum simplices illæ sunt in quibus nec mente quidem plures distinguere partes valemus; compositæ contra, quæ

plures alias simplices) seorsim potentes in-
telligi complectuntur. Primi generis sunt
ideę unitatis, cogitationis, voluntatis; tales e-
nim sunt, ut nullas in eis partes discerne-
re valeamus. Secundi vero idea v.c. corporis,
quę in plures alias simplices soliditatis, mag-
nitudinis, gravitatis dirimi potest. Sunt
qui duo hęc idearum genera aliter fin[iunt].
Quidquid enim menti obversatur, au[t res],
inquiunt, illud est, aut rei modus, aut [res]
modo vestita. Rei nomine substantia idest,
quod per se constat, ut lignum, intelligunt.
Modi autem, quod nisi per aliud, cui adhę-
ret, nequit in rerum natura constare, qua-
lis est ligni, ex. g. figura. Tum rem certo quo-
dam modo conformatam, ut figuratum
lignum ipsum, rem modo afectam, vesti-

tamque appellant. Itaque, quæ idea rem, modum vè referat tantum, ea illis simplex est, quæ utrumque composita. At hæc crassa quodammodo, et involuta; aut saltem non satis explicata, et distributa videntur.

Restat ea nobis idearum divisio, quæ ex ipsarum repræsentatione deducitur: sic autem claræ sunt, aut obscuræ, distinctæ, vel confusæ; completæ, incompletæ vè, inadequatæ, vel adæquatæ; universales, particulares, singulares. Clara ea est idea, quæ menti sic rem exhibet, ut eam ab aliis rebus discernere possit; ita nigredinis ex. c. clara vobis erit idea, cum illum ipsum colorem sic percipietis, ut ipsum ab albedine, aliisque coloribus distinguere valeatis. Quæ verò notio sit ejusmodi, ut

rem menti non sistat, ita ut eam possimus à rebus alijs internoscere, obscura est. Ejusmodi sunt notiones illarum, qui in statu letargi versantur, infantum etiam, ebriosorumque hominum. E quibus fit, ut quò magis, aut minus res à rebus discernere valeamus, eo clariores sint, obscuriores vè notiones, quibus eas nobis repre-sentarimus. *Distincta* deinde est, qua nedum res ab aliis rebus discernimus, sed notas quoque caracteresque, quibus illa à cęteris discernitur, nobis represhentamus. Contra verò *confusa*, qua rem quidem ab aliis discernimus, non tamen notas illas, in quibus posita est rerum illarum discretio. *Completa* erit, quę tot notas exhibeat, quot satis sint, ut res à rebus in

omni statu, tempore, casuque distinguatur à nobis. Incompleta, quę eas omnes, quę in id requiruntur, notas non exhibeat. Completa est itaque idea spiritus, et substantię inteligentia, ac voluntate gaudentis. Adequata tandem est, quę notarum harum notas alias exhibeat, ut si rursus noveritis, quid substantia sit, quid intelligentia, quid voluntas; quę secus, erit inadequata. Non me latet, aliter hęc ab aliis definiri; ad quas duxi omnium optimas definitiones.

Singularis autem est idea, quę rem unam individuam, et indeterminatam exhibet; qualis est idea, quam sui quisque habet: quod si multa conferam individua, ipsorumque nihil, nisi quod ipsis est commune conside-

rem, ideam efficiam generalem, hoc est, quę rem scilicet multis communem menti ostē-dat. Itaque si ab idea Platonis v.g. quam singularem esse videtis, adjuncta corporis, animi, loci, temporis, consimiliaque alia resecaritis, relinquetur idea animantis ratione utentis, quę cum omnium hominum communis sit, universalis erit. Sectio autem ishęc abstractione fit, quę est attentio mentis ad unam, vel aliam rei alicujus proprietatem, non attentis aliis, quod in mente locum habet finita, ex quibus omnibus intelligitur extra mentem universalia non esse; quidquam enim, quod extra mentem reperitur singulare est. Homo v.g. universalis non est nisi in idea; cum qui homines re vera sunt, singula-

res sint: quivis namque est is, qui est, et non alius, id animadvertatis opportet.

Singularia dici quoque individua: individuum autem est id, quod in plura talia, quale ipsum est dividi nequit, ut Zeno v.g. in duos nequit abire Zenones. Definiri autem sic opportet, ut id dicatur esse, quod quibusdam proprietatibus, quæ nulli alii eędem omnes convenire valeant, constat. Illas autem proprietates in carmen illud pro tritum memorię gratiâ Logici coegerunt.

Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus.

Per illas Cacus ab Ovidio pulchre describitur.

Cacus Aventinę timor, atq. infamia silvę;
Non leve finitimis, hospitibusq. malum.

Dira viro facies, vires pro corpore, corpus
Grande; Pater monstri Mulciber hujus erat.

Quod efficit, rem esse individuam, id ejus, ut ajunt, existentia est, cum sola singularia, individuave existant: nec sit quidquam, quod vel perse, vel per aliud existat, vel natura, vel arte sit factum, quin individuum recte dicatur. Individuationis ergo principium, ut Scola loquitur, hoc est, id, quo res fit individua, nihil est ab ejus existentia distinctum. Illis autem, quas proximè exposui, proprietatibus individua non fiunt illa quidem, sed ostenduntur.

Multa hic, plurima, inquam, et infinita non nulli Logici miscent de universalibus, sint ne a parte rei, ut ipsi loquuntur. Necnè exorta est enim seculo undecimo Phi-

losoforum in Reales, et Nominales divisio.
Nam qui naturam existere universalem
contenderent. Reales; contra, qui singula-
ria omnia, pręter nomina, prorsus esse, No-
minalium appellationem habebant. Illud
atamen verius, et dilucidius, quam ut liti-
bus sit necesse; singularia omnia, quę in re-
rum sunt universitate, reipsa esse; licet cum
ideę, tum nomina quędam dici debeant
generalia, ob id quia multa exhibent, vel
significant. De abstractionibus, etiam, aut
precissionibus, sint ne formales, vel objec-
tivę (sic enim loqui solent) ab illis disputa-
tur longissimè. Est autem ipsis abstractio,
pręcissiove formalis, cum res tota ex. c. ho-
mo, unius tantum attributi, animalis puta
perceptione confusa, et commixta cogno-

citur. At objectiva, cum non res tota, sed ejus tantum aliquid percipietur. Qua de re interse integris voluminibus digladiantur. Quę quidem cum prorsus inutilia judicemus, missa facimus.

Particularis vocatur idea, quę rem quidem aliquam individuam menti offert; sed incertam, et indeterminatam. Talis ea est, quam habemus, dum confussam hominis cujuspiam vocem audimus, nec tamen quisnam ille sit, novimus. Huic est assimilis idea arboris, vel hominis eminus vissi, quę unam quidem arborem, vel unum aliquem hominem repręsentat, non tamem Petrum, aut Paulum, corilum, vel amigdalum. Si namque determinatum aliquę hominem exhiberet, aut arborem, non par-

ticularis est, sed singularis.

In ideis deinde quæcumque sint, duo so-
lerter consideranda recentiores commonent
Logici comprehentionem scilicet earum, acex-
tentionem. Comprehensio illis sunt ea om-
nia, quæ ita in idea continentur, ut sine il-
lis consistere nequeat. Sic esse animantem
rationis participem, ita in hominis idea re-
peritur, ut aliter homo nequeat concipi. Ex-
tentionem verò ea omnia subjecta vocant,
quibus idea convenire potest, et aplicari; ut
ideæ homo v. g. extentio est Petrus, Paulus, Ja-
cobus, cæteri tandem homines, quippe quibus
animalis ratione utentis, sive quod eodem
recidit, hominis notio conveniat.

Quibus quidem positis, intellectu facile
illud novorum redditur Philosoforum, quo

minorem idea comprehentionem habeat, eo majore donatam esse extentione: hoc est, quo minores habeat determinationes, quo pauciora attributa notio contineat, eo plura esse subjecta, quibus illa conveniat, applicariq̃e posit. Sic quod idea Petri, v.c. multiplices omnimodasque claudat determinationes; nulli subjecto preterquam uni ipsi Petro congruere potest; at hominis idea, quę nec temporis, nec loci, nec personę circunstantijs coercetur, sed tantum animalis ratiocinari potentis attributa complectitur; latius patet, multisque id circo potest applicari subjectis. Sic etiam animalis idea cum pautiora, quam idea hominis attributa contineat, pluribus subjectis communis evadit. Deinde idea viventis, tum corporis, post substantię, deinceps

entis, denique rei. Nulla est enim idea mi-
rem habens comprehensionem, quam idea
rei, quae nihil aliud continet, ut est perspicu-
um, nisi esse posse, vel esse, quod est in cau-
cur nulla sit idea pluribus, imo nec tot po-
tens convenire subjectis, quam idea rei.

Sed ad universalem reddimus ideam cu-
jus quinque omnino sunt genera, si fides sit
habenda Porfirio, generice, specifice, dife-
rentialis, propriae, et accidentalis; propterea
quia nullam sit universalem ideam reperi-
re; quin aut genus exhibeat, aut speciem, aut
diferentiam, aut proprium, aut denique
accidens: atque tria ex his attributis superi-
ora, ob id essentialia, primariaque nomi-
nantur, quod rei naturam, vel esentiam
ingrediuntur. Duo vero inferiora secunda-

ria vocantur, quia extra rei esentiam, vel naturam existunt. Quidquid enim ad rem attinet, cujus tamen naturam non constituit, vel proprium, vel accidens, habetote.

Jam genus est attributum pluribus specie diferentibus conveniens: quale attributum est animal, quod et hominibus, et belluis, licet diversæ sint speciei, congruit. Estque duplex proximum scilicet, ac remotum: superius idest, quod ita pluribus specie discrepantibus convenit, ut nullum sub se habeat attributum de illis potens, ut genus enunciari; inferius autem illud est, quod aliud sub se tale continet attributum. Sic cum homo, genus animalis proximè sequatur, remotè vero viventis; hoc remotum, illud autem proximum est, si ad hominem retuleritis.

Cum non sit omnium extentio generum eadem; est genus quoddam supremum, medium aliud, aliud infimum, quod itaque nullum supra se genus habet, supremum: quod cum supra, tum infra se genus alterum habet, medium: denique sub quo genus est nullum, id infimum nominetur. Horum exempla sunt res, quod supremum genus est: deinde ens, substantia, corpus, vivens, quę media sunt genera; animal tandem, quod est infimum.

Generi finitima est diferentia, quę si tam latè, quam ipsa patet, accipiatur, id est omne, quo res una difert cum alia. Ejus autem triplex est, descriptio; nam alia est essentialis, vel specifica, qua de nunc loquimur: alia proprii, accidentalis altera, quę

in presens missas facimus; propterea quia illa ad proprium, et hęc ad accidens, de quibus infra referuntur. Esentialis itaque diferentia, et attributum ob quod plura eidem subjacentia generi, esentia diferunt. Hujusce modi est ratiocinandi vis, quę et hominibus applicari potest, et ipsos à belluis, quę eidem, atque illi ipsi generi subjacent: discriminat penes esentiam, velut loqui amant Scholastici, essentialiter.

Eadem insuper diferentia, cum et genus partiatur, et speciem constituat, duplex est; nam, quę genus dividit remotum remota vocatur; quę proximum proxima; sic existentia, cum remotum genus dividat, remota dicitur diferentia; proxima vero rationalitas, quia proximum animalis

genus dispescit; ut pretexeam supremam, me-
diam, et infimam diferentiam, quarum pri-
ma supremum dividit genus; altera medium;
tertia infimum. Quod nihil est opus exem-
plis facere longius.

Proxima est species, que genere, atque
diferentia confiatur: ex illo quidem tam-
quam ex predicato, ut loquuntur, determi-
nabili; ex hac, ut ex attributo determinan-
te, eodem autem requirunt predicatum,
et attributum. Definiri autem solet, spe-
cies attributum pluribus solo diferenti-
bus numero, ut tota eorum esentia conve-
niens. Quo circa hominis attributum ha-
betur species; ideo quod Petro, Paulo, cete-
ris nature humane individuis, tanquam
integra ipsorum esentia attribui potest.

Illa porrò solo differre numero dicuntur, quę *speciem infimam* consequuntur. Individua quoque, quę ita diferunt appellantur. Quid autem sit individuum, supra me memini declarasse. Quo circa ne actum, ut ajunt, agamus, reliqua edocere pergamus.

Species item est vel *suprema*, vel *media*, vel *infima*. *Supremam* vocant, quę *supremo* generi, ut ens; *mediam*, quę *medio*, ut animal; *infimam* denique, quę dicitur etiam *atoma*, ut que dialecto utar scholarum specialissima; quę *infimo* subjicitur proximè scilicet *homo*. Ex his autem tribus sola quidem species infima vniversalem attingit ideam *speciei*: quod ita sit species, ut simul generis rationem non subeat.

Age vero, ut quę de *genere*, *specie*, atque

differentia docuimus, fiant dilucidiora hęc duc

mus subjacienda.



Schemma igitur prejacens tribus existit lineis, ut videtis, vel columnis, quarum media, quę recta vocatur, genera, species, individua que continentur. Reliquę verò duę, quas appellant colaterales, exhibent diferentias. Rectę preterea lineę verticem supremum occupat, scilicet res, cui nullum aliud genus antestat: primam fere partem tenet species infima, cui non alia quidem species, sed individua proximè subsunt, scilicet homo, cui Socrates, Plato, Aristoteles, cęteri subjacent. Inter supremum deinde genus, speciem que infimam nedum ens, substantia, corpus, et vivens, quę media sunt genera interjacēt; sed animal quod est genus infimum species media, vario scilicet respectu vocatur, ex-

56

istit. Tunc in lineis utriusque positis, duę, primę que superiorem hinc, illinc locum occupant diferentię, nempe existentia, possibilitas; supremę quidem sunt, atque inferiorem locum tenent; rationalitas videlicet, non rationalitas infimę vocantur. Medię postremò, quę inter has, et illas intérpositę reperiuntur.

Sequitur de proprio, quod quatuor à Porphirio modis accipitur, primo autem modo proprium vocatur, quod soli quidem alicujus convenit speciei, sed non tamen omnibus, quę illis subsunt individuis, ut esse Medicum, vel Philosofum. Non enim omnis homo medendi arte, aut philosofia est informatus; quamquam solius hominis ista sunt propria, saltem, ut Porfirio plac

Secundo, quod omnibus quidem alicujus speciei convenit individuis; at non solis, ut duos habere pedes, vel occulos, quod hominibus omnibus est commune cum volucribus. Tertio, quod toti, et soli cuipiam convenit speciei: non autem semper: ut colloqui, vel sermosinari proprium est. Quarto denique, quod non toti modo, solique congruit speciei, verum etiam semper, istiusmodi homini proprium est sermosinari, vel colloqui posse. Atque hocce dumtaxat proprium illud est, quod quartum idearum genus constituit. Hoc itaque sic definitur, ut sit attributum, quod pluribus, si minus esentialiter, at necessario certe conveniat. Quamvis enim ejusmodi proprium in rerum esentias neutiquam ingre-

diatur, ab ipsis tamen manat esentiis, eisdemque, ut ajunt, identificatur.

Reliquum est accidens, cujus nomine licet id omne, quod ad rerum essentias non attinet, intelligi soleat; hocque sensu quidquid est proprium accidentis rationem participet; id tamen, id solum accidens judicatur, quod rei advenit, ita inest, ut ab illa separari queat essentia ejus, intimisque proprietatibus minimè deficientibus, qualis est doctrina, vel virtus in homine, quę sic illi adveniunt, ut licet eas amittat, non tamen ideo ullo essentię suę attributo, ullave suimet proprietate multetur. Quapropter probè à Porphirio definitur, accidens, quod adest, abestque sine subjecti, quod afficit, inhęretque corruptione. Quatenus autem

ex universalibus attributis est unum, sic definiri potest, ut attributum esse dicatur, qđ pluribus non essentialiter, necessario vè convenit, sed contingenter solummodo.

Hoc insuper ab accidente logico fisicū interest, quod illud nihil aliud exigat, præter quam rei essentię, et proprietatibus ornatę suis advenire; hoc vero sic ē subjecto, quod afficit, pendeat, ut neque fieri, neque consistere valeat sine ipso, naturaliter saltem. Quamobrem quidquid sit accidens phisicum esse nequit substantia, quę nullius, ut dicam infra, eget subjecti, cui annitatur; cum substantia ipsa esse possit accidens logicum, si nempe rei advenerit, essentialiter constitutę, ut homini vestis accedit, quę substātię genere continetur.

Restat nobis, ut moneamus, quidquid
congruit generi, vel repugnat; congruere, re-
pugnareve speciei omni sub illo contentæ;
est enim, ut ante diximus, species generis
particeps. Quod itaque animanti v.c. con-
veniat, sive repugnet; hoc repugnabit ho-
mini, vel conveniet; cum animantis ra-
tionem homo participet. Deinde, quidqui[d]
speciei convenit, nequaquam generi con-
venire, hoc etenim differentia, quam illa
continet, minime comprehendit. Quæ igi-
tur speciei, differentiæ, cujus est particeps,
causa conveniat, generi, quod illius est ex-
pers, attribui nequibunt, sic circulo bene
rotunditas attribuitur, quam figura ge-
neratim spectata repelit. Denique, quid-
quid attribui valet species ipsi posse genus

quod in illa reperitur attribui. Sic quod sit circulus, erit et figura: quod homo, animal; quod corylus, arbor; sed de his satis multa mihi videor explanasse: Deinceps de veterum, adolescentiorumque Philosoforum categoriis, ut sumus polliciti, doceamus.

CAPUT 3.M
DE PHILOSOFORUM CATEGORIIS VETERUM ET NOVORUM.

Proximę sunt categorię, seu categoremata, quę sunt nihil aliud, si interpretari velimus, quam acussationes à Cata latinè contra, et agoreo, quod vertitur loquor. Sed hisce tamen nominibus usus est Aristoteles, vel Architas

Tarentinus, seu quis libelli categorematum auctor extiterit, ut eorum significaret attributorum seriem, quę de individuo substantiali posumus enuntiari. Cumque idem sit logicis predicari, quod enuntiari, vel dici de alio, categorię predicamenta quoque dictitantur. Inter hęc autem et quinque illa universalium idearum genera Porfiriana, seu prędicabilium, (nam et ita vulgo appellantur) de quibus supra sermonem habuimus; plurimum interest prędicabilia, siquidem nihil ultra quam modum, quo unum de alio dicitur exprimunt; cum prędicamenta illa ipsa attributa denotent, quę dicuntur, et enuntiantur. Eo tandem pręclarę istę, atque utilissimę tendunt categorię, ut rebus om-

nibus certas in clases tributis omnis idearum confussio, et obscuritas devitetur; atque adeò claré, distinctèque rerum cognitioni provideatur.

Sunt autem decem numero categorię. Substantia nimirum, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Quando, Ubi, Situs, et Habitus: istam autem prędicamentorum decadem sic approbant Scolastici; Tot esse debent prędicamenta, quot ea sunt, quę de quolibet individuo substantiali possumus quęri; sunt autem ista decem omnino. Sunt igitur prędicamenta decem, quippe quęri de Petro ex. g. potest, quid ille sit, quantus, cujus vè molis, aut staturę, deinde qualis, albus ve, an niger, probus, an improbus; cujus sit, ad quę

vè referatur, ut ad Patrem Filius, vel servus ad herum; quid agat, patiatur vè; quonam tempore; ubinam; quis sit corporis sui partium status, stet nè, an sedeat; incedat, an accubet; quæ denique ratio vestitus, togatus ne sit, an sagatus, tunicatus, vel palliatus; quod si ita est, ut re vera est, totidem prædicamenta requiruntur, ut illo quærenti satisfieri possit. Sunt ergo prædicamenta decem. Argumentum quidem istud arbitror inbecille, sed cum categoriarum numerus arbitrio, nutuque hominis ineatur; non tam interest, quem numerum afferamus, quam quod is, quem ponemus perspicuitatis, ac distinctionis afferat perceptionibus.

Age nunc singula ex ordine prædicam

ra consideremus. Et primum quidem occurrit nobis substantia, græce usia, quid scilicet, quod per semet ipsum existit, quod alteri instar accidentium non incidet; quod neque ut sustineatur, subjecti, neque ullius, nisi Divini eget auxilii, qua propter ens per se subsistens a philosofis definitur. Est autem duplex, singularis, universalisque, superior est ejusmodi, ut neque subjecto inhæreat, neque de illo dicatur; vel ut Scolasticum agat, et inhæsionis, et attributionis nesciat subjectum, ut Petrus, aliudve quodlibet individuum. Inferior autem est, quæ non quidem inhæret subjecto, sed de illo tamen essentialiter enuntiatur, ut homo a Petro, quem sane intellectu in prædicamentis substantiæ nomen sortitur.

Ejus autem tres sunt præcipue proprietates. In primis, nihil sibi esse contrarium, est enim eorum, quę contraria dicuntur ab eodem se se subjecto depellere; non sunt autem, ut vidimus in subjecto substantię; non igitur possunt subjectum reciproca dejectione restinguere. Nihil ergo substantiis adversatur. Nec vulgariam ignis, et aquę inimicitiam, attuleritis; quam enim inter ista cernimus pugnam, eam non ipsorum est substantię, sed oppositarum caloris, et frigoris qualitatum. Deinde, neque magis, neque minus admitere. Sic neque pinum magis arborem dicimus, quam juniperum, neque gigantes magis homines, quam pigmeos. Denique, substantię interest contraria recipere; sic eadem aqua modo frigori, mag-

calori subternitur; idem alias salutem alias ægritudinem suscipit. Substantia enim probe dicitur à substando, ob id quia omnibus rei substat accidentibus; omnes ejus proprietates, atque perfectiones sustentat, ex quo emergit, ut quæ afectiones, vel accidentia inimica sunt, ab ipsa substantia sese detrudant.

Sequitur quantitas, quæ ita est multiplex, ita varia, ut vix prius definiri posit, quam ejus instituatur divisio. Hoc enim attributum generatim exponere, brebi, et circunscripta quadam explicatione, tam est dificile, ut dialecticos inter se videam contendentes, non quis eorum optime definiat, sed quis minus ineptam illius afferat descriptionem; etenim ambigua, quæ sunt distingui prius, ac dividi

debent, quam definivi. Quantitas ergo non numquam facultatis, seu potentiæ, vel cu-
juslibet perfectionis magnitudinem indica-
ut propterea virtutis, perfectionisvè quan-
tas appelletur. „Sic quæri assolet, ait Augus-
„tinus, quantus fuerit Hercules, factorum
„excellentia, non mole membrorum; quan-
„ille vir, quantæ scilicet potentiæ, virtutisq;
„fuerit, non autem quantum occupaverit
„ci, in quot vè pedes fuerit statura ejus por-
„recta. (1)„ Sic eorum animum fortem, mag-
„numque dicimus (ut pulchre Tullius) qui et
„ea, quæ eximia plerisque, præclaraque vi-
„dentur, parva ducunt, stabilique, ac fir-
„ratione contemnunt, et ea quæ videntur
„acerba, quæ multa, et varia in hominum vi-

(1) Lib. de quant. anim. c. 17. et ibid. c. 3.

„ta, et fortuna versantur, ita ferunt, ut ni-
„hil â sapientis dignitate discedant. (2) Sic
ad summum ne singula percurramus, Deum ipsum non magnum modo, sed maximu
appellamus.

Sed propriê tamen nomine, quantitatis, corporum extensio, sive magnitudo intelligitur; quæ id circo vocatur quantitas molis. Est namque res quævis corporea longitudine, altitudineque donata, ob idque extensa, et magna, mensionisque capax. Continuam, sive cohærentem ejusmodi quantitatem proptereа vocant, quod ejus partes eadem terminantur extremitate. Si enim longitudinis alicujus duas ex. g. partes designare volentes, medio illius punctum affige-

(2) Tul. Lib. 1. offic. c. 20.

tis; ita utriusque partis illud erit extremitas, ter-
minus que communis, ut cuinam illarum affic-
tum sit, nesciatis. Similiter conjunctę sunt
partes superficiei, vel solidi. Ut enim pun-
tum esse partium longitudinis communis
extremitas, sic linea hęc superficiei que, vel
linea corporis.

Punctum a Geometris definitur, quod
nullam habet magnitudinem: seu mini-
ma lineę pars, et individua, cui longitu-
do videlicet nulla sit, latitudo, vel altitu-
do. Linea autem longitudo sine omni
altitudine cogitata, vel latitudine. Su-
perficies, longitudo simul, et latitudo
sine omni altitudine cognita. Solidum
tandem, corpus ve Mathematicum
magnitudo, extensio vè omnis trina i[n]

afecta dimentione, neque illarum ulla mente, vel cogitatione multata. Duplex namque distinguimus corpus Phisicum nempe unum, e materia, et forma conflatum, ideoque substantia quod sit: alterum in triplici posita dimentione, atque adeo ad quantitatem spectans. Quod id circo dicitur Mathematicum, quia de corpore hocce modo intellecto, disserere interest Mathematicis. Et continua quidem quantitas duplex quibusdam est, permanens, cujus partes simul omnes existunt, ut linea, superficies, et corpus, aut solidum, et fluens, quæ partibus, quadam in sucessione positis, constat, ut tempus, et motus, de quibus in Phisicis dissexemus. Huic quantitatem multitudinis addice, quæ numerus est; dicitur quæ separata, sive discreta,

quod ejus partes, vel reapse, vel cogitatione
suis quæque terminis definiatur; sicu...
a duobus, duo item a tribus, suis, ut claret,
terminis separantur.

Tria sunt propria quantitatis, pri...
vacare contrario. Nihil est enim, quod e...
a subjecto, quod afficit posit expellere. D...
inde, neque magis, neque minus recipere. ...
re bipalmi aliqua nulla prorsus alia ...
gis, vel minus bipalmis poterit reperire, ...
namque altera vel erit amplior, vel angu...
tior non bipalmis, sed alterius dicitur ...
mentionis. De numeris pariter habeto...
Quid enim est, si tria magis, minusve ...
bus dicere, dementia non sit: tum ut ...
sa res pares, vel impares nominentur, ...
sane precipua est quantitatis proprieta...

Proxima est qualitas, illudve attributum, quo res determinantur, ita ut earum essentiam non ingrediatur; ut mansuetudo, diritas, calor, frigus, cæteræ: res namque mansuetudine mansuetæ, diritate diræ, calore, vel frigore calidæ, vel frigidæ nominantur. Atque inter reliquas quidem categorias, propterea qualitas videtur esse intellectu, explicatu que difficillima, quod in illis omnibus reperitur. Dicimus enim hominem v.g. Philosophum, al- vam nigramve superficiem; mitem equum; famulum officiosum; alios velocitate currere; alios dolorem forti animo tolerare; locum etiam tenebrosum; dies calidos, frigidosve; hunc in faciem curvare, pronum, vel supinum; illum pretiosa veste indutum. Cogitur solertiæ vestræ commendanda confusam

que cæteris discernere categoriam.

Dividitur autem qualitas in habitum et afectionem; naturalem potentiam, et impotentiam, patibilem, pateticam vè qualitatem, et passionem; formam et figuram. Habitus est qualitas, quæ potentiæ adveniens firmè ei præbet ad agendum facilitatem. Est que duplex infusus, et comparatus; superior est, quem Deus nobis imprimit, ut fides (Divinam inquam fides) spes, caritas, supernaturales videlicet. Inferior autem, quem studio industriaque comparamus. Afectio deinde quam plerique dispositionem vocant, idcirco habitu discrepat, quod firma non sit qualitas, sed mutabilis; quamobrem dicitur habitus incoatus: qui in absolutum, et perfectum migrabit, usus exercitatione que assi

is accedentibus. Atque habitus vel ad animum pertinet, vel ad corpus, vel bonus item est, vel malus: quoniam exempla perspicua, nec huc attinentia, reticeo. Naturalis insuper potentia, est qualitas rebus natura insita, ut agant: eademque cum est imbecilior impotentia nominatur. Sequitur qualitas, quæ patibilis, quæ movendorum sensuum vim habet, ut color, sonus, odor, cæteræ hujusmodi. Passio vero illa est qualitas, quatenus percipitur sensibus, vel ut satius loquar, est illa motio, impressio, vel immutatio, quam in sensibus patibilis qualitas efficit. Figura præterea est exterior rei corporatæ determinatio. Forma interna earum partium compositio. Hæc autem mutata figura, potest immota manere; sinamque

tabula v. c. quæ sit rotunda quadratam[illegible] tractio; figuram quidem considet, seu ornamenta ejus circumscriptionem; formam [illegible] intestinarumve partium dispositio reli[illegible] quetur.

Qualitatis divisionem triplex illi[illegible] proprietas consequitur. Et prima quidem est, ut earum multæ contrarietatem reci[illegible]piant. „Quis enim, ait Augustinus, (si tamen ejus reapse sit libellus, qui de decem cathegoriis inscribitur, ejusdem in operibus circumfertur) „quis dubitat salubri[illegible] „trarium esse languorem, injustitiæ justi[illegible] „tiam, calorem frigori, malo bonum, non „erudito litteris eruditum? (2) Sed id tamen non est omni qualitati commune,

(2) Lib. de decem Categ. c. 12.

his quę sunt medię contrarijs, ut fuscitas, viriditas, albedini, et nigredini; quęque sunt ex genere figurarum, ut rotunditas, quadratura; nihil est enim oppositi reperire: quod clarius, quam ut exemplis indigeat. Secunda, ut magis, minusque suscipiat. Sic rem re nigriorem, aut calidiorem, videmus, frigidiorem, sive calidiorem; sed neque id esse video cujuslibet qualitatis. Quis enim quadratum ex. c. vel trigonum inveniet magis, minusve tale, quam alia trigona sit, vel quadrata? Certe si quid inveniatur, quod magis esset, aut minus quadratum, aliud quidem, quadratum tamen esse non posset. Tertia, quę omni, solique congruit qualitati, ut accidentarię similitudinis, dissimilitudinisque fundamentum, e-

ristat. Accidentariæ autem dixi, ut eam pri-
merem similitudinem, sive discrepantiam
quæ à generibus, specificisque differentiis
proficiscitur.

Atque huic quidem categoriæ, de qua
satis docuimus finitima est relatio, quæ u-
nius est respectus, et habitudo ad alterum
ut Paternitas, Filiatio. Est autem duplex
descriptio ejus, nam rationis ea dicitur
quæ mente, et cogitatione fit: ut quam in-
ter genus, speciemque comminiscimur. Quæ
vero in rebus ipsis inveniretur, Realis [illegible]
catur: cujusmodi sunt, quæ inter servum
ac dominum, causam, et efectum interj[illegible]
cent; quatuor præterea notatu digna sunt
in relatione. Subjectum, quod refertur
ad terminum, ut pater ad filium; ter-

minus ipse ad quem subjectum refertur, ut idem filius; fundamentum deinde, ratio ve, cur subjectum refertur ad terminum, estque hac in re generatio ipsa; denique relatio, habitudo què subjecti ad terminum. Realis insuper relationis extrema, non mente modo, sed re distinguuntur; quippe nihil est, quod re vera ad semet ipsum referatur. Tandem relata, quæ sunt, simul natura sint, necesse est; ob idque uno posito, vel extincto, alterum quoque ponitur, vel extinquitur.

Plurima de relatione prætereo, quæ scolastici quidem augent, addunt, accumulāt, sed sunt, opinor, inutilia, atqui eorum, quæ sciri possunt, numerus infinitus est, mentis autem hominum captus arctissimus, et

brevissimus. Quapropter agite, Discipuli mi
quę intelligi nequeunt ea minime consecte-
mini, quę utilitatis nihil afferunt, asperna-
mini; in his que omninò nervos omnes ę tatis
sollertię que vestrę contendite, quę frugifera
sint, atque ingenuis hominibus necessaria.
Quam enim, Deus bone, consultè, ac docti
Seneca dictitabat! necessaria nos ignoramus
quod supervacanea, quod inutilia didicerimus.
mus. Itaque nec illud Apostoli vobis excidat
dat „cavete, non plus scilicet sapere velle,
„quam opporteat sapere;„ Sed de monitis ha-
tenus, nunc quę supersunt categorię paucis.

Est ergo actio, ejus, quod agit exercitium
quod passio vocabitur, cum ad id, quod recipi-
tur, referetur. Nihilo enim magis ista dif-
ferunt, quam respectuum diversitate. Prę-

rea, si talis erit actio, ut extra rem agentem nihil efficiat, sed intus in re ipsa penitus absolvatur, ut visio, cogitatio, delectatio, id generis multæ, immanens dicetur. Sin autem, transiens: ejusmodi est liquatio, siccatio, refrigeratio, ceteræ. Deinceps, ubi est rei ad locum occupat relatio, ejusve alicui loco presentia. Quando est rei, ut ita dicam, duratio, sive ejus cum tempore, quod interea labitur comparatio. Situs est partium corporis in loco positio: ut status, incessus, sessio, accubatio. Habitus denique rei ad vestes, quibus est induta relatio. Hæc sane categoriarum decas, ad duo summa reducitur genera, si audiendi sint Scholastici, unum substantiæ, aliud accidentis, quæ sub entis categoria reliquarum, ut ipsis placet,

generalissima continentur.

Ac hasce quidem vobis categorias, quas animo percussas, et prope decantatas habere debetis. Vt enim non id me fallat, quod inquit Arnaldus, Nicoliusvè, seu quis quis eximiam cogitandi artem scripserit, eas assuefacere Adolescentes ad inania vocabula pro sincera scientia habenda; esse que non nullos, in quibus Doctissimus Antonius Genuensis reperitur, qui non inutiles modò, verum etiam noxias ducant categorias; meo nihilominus animo divisione ipse, sua tyronum mentibus lucem afferunt, quo distinctas possint rerum notitias adigere, atque adeo animũ hac in re auctores illi habendi sunt.

Atque ad eos dilapsi sumus Phil

sofos, qui vulgò quidem recentiores appelantur, sed antiquiores, opinor, verius dicerentur, cum eorum teneant Philosoforum partes qui longo ante Aristotelem tempore floruere. Leucippi scilicet, Democriti, eximiique Platonis, cum tamen consuetudinis vim maximam esse noverimus, apud nos etiam istic valeat consuetudo, hosque dicamus recentiores, qui re apud vetustiores essent Philosofi nuncupandi. Qui ergo septem numero constituunt categorias, quæ tritissimis illis versibus continentur:

Mens, Mensura, Quies, Motus, Positura, Figura,
Sunt cum Materia cunctarum exordia rerum.

Mentis nomine substantiam intelligunt

cogitandi, ac volendi facultate donatam; Al-
teri vero Substantiam solidam, et exten-
sam. Mensure deinde, sive quantitatis cor-
poream magnitudinem. Motus à loco in
locum translationem. Quietis alicubi per-
severantiam. Figuram supra definivimus
nec non Posituram, que nihil cum situ discre-
pat. Ad duo etiam suprema capita septem is-
tiusmodi categorie revocantur, unum scili-
cet Substantie, vel entis (his enim vocabulis
idem plerisque junioribus Philosofis signifi-
catur) quo spiritus, et corpora continentur.
Alterum modo, quo tam qui corpora, ut su-
periores quinque, quam qui spiritus conse-
quuntur, sunt que cogitationes, voluntatesq.
colluduntur. Duo tandem ista genera, que
admodum aliquibus placet recentioribus

entis categoria omnium, ut putant amplissima comprehenduntur.

Jam vero cum omnis humanę cogitationis fundamentum esse ideas constet, dubitetque nemo, quin ad harum perspicuitatem, ac distinctionem, vel maximè possit apta rerum in clases distributio; nihil relinquis faciam, quominus eam, quam possim accuratissimè pertexam. Itaque quidquid est, vel esse potest res dicitur, jam pridem intellexistis. Res, aut existit, vocaturque Ens, aut non existit possibileque nuncupatur. Ens, aut perse subsistit, estque Substantia; aut inhęret substantię, ut existere possit, diciturque modus, vel accidens; ob id quia substantiam modificat, ipsique accedit. Substantia deinceps in corpoream dispescitur, et incor-

poream. Incorporea autem substantia aut inteligentia, voluntateque pollet, est que propterea Spiritus; aut est et intelligentiæ et voluntatis expers, que id circo Spiritus dici non potest, ut anima pecoris. Spiritus autem sive independens est, Sempiternus, Optimus, Beatissimus, qui unus Deus est; aut finitus quidem, nec sempiternus, dependens. Hic autem si ad corpora destinatus erit animanda mens humana; sin autem Genii, quorum qui mali sunt Dæmones, qui vero boni Angeles nominare solemus; Angelorum insuper tres sunt Hierarquiæ, vel ut latio utar sermone, sacri ordines, quorum singuli terni sunt chori, ut ex sacris Biblis Auctor libri de Cælesti Hierarquia, qui Beato Dionisio

tribuitur, conficit, primus enim chorus Seraphin, Cherubim, Tronis que constat; alter Dominationibus, Principatibus, Potestatibus; tertium deinde Virtutibus Archangelis, Angelis, speciem nimirum considerati. Atque incorporearum rerum divisionem terminavimus.

Corpus vero, ob id quia pluribus diversis constare potest naturis, vel una solummodo. Simplex in varia diximitur elementa, aerem scilicet, aquam, terram, quibus quartum adjiciunt Scholastici, Ignem videlicet, hocce tamen corpus diversis natura corporibus, ut sulphure, nitro que constituium, videtur Phisicis recentioribus; ideo que non esse inter elementa, que simplicia sunt corpora, resencendum. Sed

hęc alias pluribus, nunc ad institutam di-
tributionem revertamur. Mixtum itaque
corpus, aut est vitę particeps, vel inanimu-
Inanimorum pręcipua corporum genera la-
pides sunt, metalla, varięque succorum c-
cretiones. Eorum verò, quę vitę munere u-
tuntur; tria sunt genera Plantarum, Be-
luarum, et Hominum. Planctę crescunt q-
dem, utque dici assolet, vegetant, non tam
sentiendi facultate fruuntur. Bellue au-
etsi non crescunt modo, verumetiam se-
unt, rationis tamen sunt pęnitus exper-
tes. At Homo, Homo inquam, quem ad
suam Deus imaginem, ac similitudi-
fecit, estque admirabile, si quidquam a-
liud naturę opus, et crescit, ut plantę, et
sentit, ut mutaque que animalia, et i-

telligit insuper, ut Angeli, ut ipse DEUS. Ex quibus mihi vos satis intellexisse videmini, unum Hominem utramque in se continere naturas Spiritalem videlicet, et corpoream.

Restat accidentis, seu modi divisio, et primum quidem accidens incorporeum, corporeumque tribuitur: illud incorpoream substantiam, hoc corpoream afficit. Incorporeum autem, aut est spirituale, quod ad spiritum attinet; aut secus substantiamque tantum incorpoream modificat. Omne deinde accidens, si Scholastici audiendi sunt, in absolutum, modaleque, sive modum dividitur. Absolutum illis est, quod ut nequeat esse sine subjecto naturaliter; divinitus tamen potest: ut color, sapor, calor, frigus; cætera con-

similia. Modale verò quod ita è subjecto pe[n]
det, quod modificat, ut sine illo esse queat n[ul]
lo modo: ut curvitas, rotunditas, et alia id[ge]
nus. Adolescentioribus tamen Philosophis
accidentia omnia modi sunt, atque ade[o]
nisi substantiæ innixa, quam afficiunt, e[s]
se nequeunt ulla potentia, ac eorum, qu[æ]
corpus attingunt modorum duo sunt ipsi[s]
genera. Primitivorum scilicet, deriva[ti]
vorum que. Primitivi sunt magnitudo, [fi]
gura, motus, quies, positura, vel situs; id
circo quia ex illis quæcumque in corporibus
accidentia reperiuntur, emanant; Deri
vativi autem, qui è prioribus enascuntur
in quinque genera tribuuntur quinque
sensibus, quos immutant, respondentibus
scilicet colorum, sonorum, odorum, sapo[rum]

tactilium que qualitatum, ut caloris, frigoris, siccitatis, humiditatis, et affinium. Atque de categoriis plus forte, quam satis, dixisse videremur: de attributorum appositione, rerumque prioritate, et simultate (sunt enim scholastica scholasticis quandoque vocabulis exprimenda) quod erit visum utile, disseramus.

CAPUT 4.m

DE ATTRIBUTORUM OPPOSITIONE, RERUMQUE PRIORITATE, POSTERIORITATE, SIMUL-TATE.

Quis igitur incertus ille auctor cate-
riis, ceu prędicamentis communes quas
adjunxit affectiones, quę ab ipsorum in
ter se prędicamentorum comparatione
proficiscuntur: appellantur que vulgo
post prędicamenta. Sex autem ab ipsi
numerantur, nempe oppositio, prio-
posterioritas. simultas, motus, et mul-
plex habendi modus: Ex quibus supe-
quatuor hocce libello perstringemus; q

tum verò àd Phisicam, quam attingit, relegamus, tum sextum prætermitimus, quod nullius ferè sit utilitatis. Sed ad propositum aggrediamur.

Opposita dixeritis attributa, quorum unum alteri pugnatius est, quam ut in eodem subjecto conjungi valeant, eorum quatuor genera reperiuntur; contrariorum, relativorum, privativorum, et contradicentium. Quæ autem attributa nedum positiva sunt, sed eidem adjacentia generi distant inter semetipsa quam maxime; contraria habentor, ut albedo, nigror, quæ eodem quidem genere, scilicet coloris contenta; tam sunt à se disita, quam quæ remotissima, ut quisque noverit. Suæ sunt insuper contrariis affectiones. Prima, ut quo erunt inter

se propinquiora, eo magis sua ipsorum oppositio deprehendatur. Secunda, ut eidem subjecto inesse quidem possint, sed vicisim solummodo, propterea quod alterum pellitur alterο. Tertia, ut contrariæ sint consequtiones illorum, modo ne quid obstet, ut in aqua conspicitur, quæ frigore similiter, tum calore rarescit, ut frigoris, quemadmodum in Phisicis, Deo aspirante, docebimus, condensare sit, dilatare caloris.

Relativa deinceps ea vocantur, quæ et positiva sunt, et ita ad semet ipsa referuntur, ut in eodem subjecto eumdem versus terminum consotiari nequent; hujusmodi esse videtis Patrem, et Filium, cum posit nemo ejusdem esse simul natus, et genitor.

Privativa insuper appellantur, quorum

unum alterius est privatio, ut visus, cæcitas, id attamen privatio differt à negatione; quod illa sit carentia formæ in subjecto, cui forma ipsa debeatur; hæc verò carentia formæ in subjecto, cui forma ipsa minimè debeatur. Sic cæcitas ex. g. erit privatio ad hominem relata, qui vitæ sit casus; ad aurum verò, seu lapidem negatio; ob eam sanè rem; quia illi proprius est visus, naturaque debitus, ei autem nequtiquam. Ex quo fit, ut visio, ac cæcitas privativa quidem sint attributa, modo ritè instituatur comparatio.

Quod restat genus, eorum est attributorum, quæ contradicentia, contradictoriave nominantur: hæc itaque sunt ejusmodi, ut unum eorum alterius sit negatio, qualia sunt homo, non homo; lapis, non lapis idque

generis infinita:

Addendum eodem est attributorum
quæ sunt opposita, non nulla medium po
secus alia. Medium autem est duplex, u
extremorum particeps: alterum expers; p
mi generis tepor est, qui calorem, ac frigu
participat: secundi vero sunt trans lucida
quæque, græcè diafana, quæ coloratis int
jacentia, omnis sunt coloris exortia. Ja
inter attributa contraria utrumque me
dium interesse solet: quod est quidem vide
re, quin incorporea, corporeaque substan
is, inter quas cum homo interjacet, utriu
particeps; tum etiam modus, vel accidens
quod neutrius rationem ingreditur.

At inter relativa, et privativa ....
prorsus medium potest intercedere, id q

extremorum penitus expers. Ad natum equidem, et genitorem appello; quibus interest aurum, quod neque natus est, neque genitor. Sic inde ipsum metallum, quod neque audit, neque surdum recte dixeris, inter audientem, eumque, qui auditum amisserit, hominem, intercedit. Contradicentia medium nullum admittunt: quodvis enim, ut quisque patet: aut est, aut non est. Neque quidquam esse potest, quod homo ex. c. ambo ve sit, vel non sit; seu quod neque sit, neque non sit tamen. Ex quo intelligitur, hocce oppositionis genus reliquorum esse maximum, relativa omnia minimum; tantum quippe abest, ut relativa sepe jmane attributa, ut unum exigat alterum. Atque hæc in attributorum oppositione considerentur.

De cæteris autem, quæ hujus capitis inscrip-

tio complectitur, quinque modis unum esse, potest primum altero, tempore, natura, ordine, dignitate, causa, vel enim tempus aliquod rei una procedit alteram, ut Epicurum, Democritum, Socrates, Aristotelem. Aut ex altera ita quit colligi, ut ex illa concludi nequeat, ut ex homine animal; ex ilice arbos; ex auro metallum; ex figura triangulum. Esset namque recta ejus consequtio, qui sic philosofaretur: est homo, ilex, aurum, trigonum? est igitur animal, arbos, metallum, figura. Illius vero, qui contradiceret, nimis esset illatio vitiperanda. Pergamus autem cetera exponere, vel itaque rem anteit, in serie, positione ve aliqua, ut nas trinitatem orationis exordium narrationem ejusdem, aut epilogum. Sive res re honorificentior existit, ut gregario milite du

duce imperatum. Sive tandem res rem efficit, ut Filium Pater. Consequi post-prioritatem video; sed cum ex ei oppositę prioritatis explicatione valde sit perspicua, nihil attinet explicari.

Tribus denique modis duo simul esse possunt, tempore, natura, divisione, et priori quidem modo simul ea existunt omnia, quę eodem temporis puncto in rebus ponentur: ut si nullum penitus inter Petri, Paulique ortum tempus effluxisse ponamus. Altero autem ea, quę ita quidem existunt, ut positionem unius positio alterius exoptet; sed neutrum tamen alterius sit causa, ut duo quęque similia. Tum tertio simul ea dicentur, quę eidem genus dispescent, veluti Homo, et Bellua, qui unum idemque animalis genus partiuntur.

CAPUT 5.m

DE IDEARUM, SIVE PERCEPTIONUM SIGNIS.

Reliqua sunt signa perceptionum, ... autem omne signum dici potest, quo in ali... cujus cognitionem venimus; seu quod aliqu... piam significat. Signum attamen, quod ... sensus cadere potest, sensibile que propter... dicitur, id esse definit Augustinus (1) qu... „ præter sui speciem, quam ingerit sensib... „ aliquid aliud facit in cognitionem venire. Ejusmodi est fumus, quippe præterquam suam ipsius speciem sensibus imprimit, in ignis no... cit intelligentiam.

(1) Lib. 2. de Doct. Christ. C. 1.

Signum itaque omne aliud significat, significatio autem istæc cum ab ipsa rei significantis natura proficiscitur; res illa ipsa significans, naturale signum vocatur, sic fumus significat ignem; sic animantium vitam respiratio; quod enim vivit animal fieri nequit, ut non respiret; quamquam ita esse potest tenuis animantis respiratio, ut vel accutissimos quidem sensus efugiat. Atque naturalium signorum eadem semper significatio est, ob id quia a rerum natura, quæ semper sibi constat, emanat.

Sin autem rei significatio ab alicujus arbitrio sive Dei sit O. M. sive hominis pendebit, arbitrarium, eam signum vocate, sive ad placitum, ut ajunt, nuncupabitur, hujusmodi est hædera ad domi fores appensa, quæ idcirco venale vinum indicat, quod ita esse hominibus pla-

cuerit. Addite iridem in nubibus apparentem,
quæ signum est Diluvii non iterum reddituri.
Sic namque Deus Noemum, ejusque filios
loquitur, postquam ex arca egressi sunt; „Hoc
„signum fœderis, quod do inter me, et vos, et
„ad omnem animam viventem, quæ est vobis-
„cum in generationes sempiternas. Arcum me-
„um ponam in nubibus, et erit signum inter me
„et terram. Cumque obduxero nubibus cœlum
„apparebit Arcus meus, recordabor fœderis mei
„vobiscum, et cum omni anima vivente, quæ
„carnem vegetat, et non erunt ultra aquæ di-
„luvij ad delendam universam carnem. (1)

Neque vero signorum ejusmodi necessaria
nia est significatio, sed libera; ob id que mu-
tari potest, ut liquet facillime, prout institu-

(1) Genes. C. 9. v. 12. et seq.

ri placuerit, nisi quod cum in Deum non mutatio dicam, ne ulla mutationis quidem umbra cadere possit, efficitur, ut non nulla signa ab ejus liberrima voluntate pendentia, minime mutari queant: ea scilicet, quæ semper ille voluerit, semper extitura.

Accedit eodem signum esse potest verum, vel falsum, certum, vel incertum, vel probabile. Principio autem quod ut res in se sit ita eam exhibebit, hoc verum signum dicetur: quod autem contra falsum: deinde quod fallit numquam veluti respiratio ad animalem vitam relata, certum putator: at illud incertum, quod toties fallere, quoties non fallere soleat; tum quod rario fallit probabile censeatur: quare serotinam esse novimus cœli rubedinem, quam ut plurimum sere-

nitas matutina consequitur. Huc illud spe[...]
naturalia signa omnia cum vera, tum cert[...]
semper existere; pariter ut ea, quæ Deus in[...]
tituit, neminem quippe Deus, naturave fa[...]
At quæ ab humana voluntate descendunt[...]
in homines fallacia cadere potest; ipsorum[...]
que propria est instabilitas, deficere qu[...]
â veritate, atque certitudine possunt.

Consultò autem innumerabiles p[...]
mitto signi divisiones, totidemque quæstiu[...]
culas ab aliquibus hoc loco pertractari so[...]
propterea quod nulli esse queant usui; e[...]
autem supervacaneam doctrinæ farragin[...]
semper oderim vehementer. Quo quid[...]
generæ Deus immortalis! Dialectici non [...]
lucerunt! quanta necarunt! ut tempus, [...]
necessariis impendendum, nobis est Iono [...]

argutiolis, nugis, apinisque, ut ajunt, ac tricis transmittentes, ipsum tribuere, Philosofiam que ipsam adulteraxunt! Hoc igitur fixum vellim maneat, juvenes, et immotum, qui vere scire cupit, eum, quædam esse nescienda, scire debere, vel quia mentem superat nostram, vel quia indigna sunt, in quibus mens nostra cognoscendis versetur, permagna nimirum, et per exigua. „Melius enim, teste Augustino, est quædam „nescire, quam scire ut vilia (1) Et alias „ „nemo ex me, ait, scire quærat, quod me „nescire scio, nisi forte, ut nescire discat, „Quod sciri non posse, sciendum est (2) Sed a via fortasse declinasse videbimur, eamdem rursus ingrediamur.

(1) In enchirid. c. 17. (2) Lib. de doc. Christ. c. 7.

Cum itaque cogitationes nostræ intus mente lateant, vellent que homines suas [illegible] alteri patefacere vocibus, ex omni rerum, [illegible] sub sensus cadunt, multitudine, propterea [illegible] si sunt, quod nihil aptius huic muneri p[illegible] tando sibi viderentur. Nec injuria sane, [illegible] ter enim quamquod vox mille modis versa[illegible] flectique possit, ratio ipsa, ut scite Quintili[illegible]
„ nus, neque tam nos juvaret, neque tam in [illegible]
„ bis esset manifesta, nisi que conspicemus [illegible]
„ te, promere etiam loquendo possemus.

Vocem autem generatim acceptam, so[illegible]
„ animantis ore prolatum esse, tradidit Aris[illegible] teles (1) Duo vocis sunt genera, unum [illegible] earum est, quas vocant non articulatas, id co quia ex silabis, seu articulis minime [illegible]

(1) Lib. 2. de anim. c. 8.

guntur, ejus generis sunt leonum rugitus, mugitus bobum, canum latratus, equorum hinnitus, ovium balatus, grugnitus suum, vulpium gagnitus, Hominum tandem gemitus, et suspiria: alterum deinde articulatarum vocum est, quæ silabis utique distinguntur; uti Deus, Angelus, Homo, bellua, planta, lapis, cætera, quibus ad sua quisque cogitata prodenda ussi sunt homines, ac utantur.

Sunt autem arbitraria certe signa voces ejusmodi; idque cum psitacorum vocibus discrepant, quod suis homines verbis cogitatus significandi suos concilium adjungant; secus autem brutum illud loquutium genus alituum. Ac de vocibus quidem minimè articulatis nihil est, quod disserar

mus, cum eas natura inseruerit animanti-
bus, ut ab horum arbitratu non pendeant,
ideoque in naturalium alvo signorum sint
reponendæ.

Sed quod nostra quidem interest arti-
culatarum vocum octo distinguunt gen[era]
Grammatici, quibus reliqua exponenda [re-]
linquimus, præter quam nomen, ac verb[um]
quæ nobis Dialectica pertractantibus us[ui]
sunt, et nomen quidem ideis efferendis [in-]
servit, juditiis autem verbum, quamob[rem]
de nominibus singula (quoad erit utile)
loco persequamur, de verbis alias simil[iter]
disseruxi.

Prius tamen quam hæc præstitezim, [sa-]
tisfexi satis questioni vellim, qui nempe que[...]
vocibus hominum minime articulatis, quæ[...]

nihil est commune cum ideis, nec à Deo ulla connexa perceptio, sic perceptiones aliquę devinciri, ut statim ipsę exiitentur in mente atque sonorum aures percellentium phantasmata cerebro adsunt.

Binis age verbis scicitationi respondeo: certam certę perceptioni vocem affigere, efficax illud, ac vehemens, quo homines efferuntur studium sua sibi sensa invicem patefaciendi. Id autem, quod estis jam edocti, nunc memoria repetatis, oportet, ea scilicet lege corpori annexam esse mentem, ut certos quosdam corporis motus certi quidam animę cogitatus sequantur; et versa vice. Ex quo fit liquido, ut quę confussę, leviter, vel remissè sensus afficiunt: ea confussa, imperfectaque perceptione noscamus. Contrà quę distinc-

tè, quæ fortiter, quæ potenter, ac vividè. Si... quæ idea alicui sensus immutationi, voci... apiam factæ semel est ab hominibus allig... ta; ea ipsa reddit, ac excitatur, cum prim... vox illa ipsa iteratur: cum vox hæc, ut est... picuum. priorem sensus immutationem... ficiat, necesse sit.

Atque quam in linguis ediscendis... peritatem, spinasque, ut hocce pacto loquar... experimur, ea inde nascitur, quod, quæ vo... sunt ab hominibus institutæ, eæ difficulte... perceptionibus consocientur. Summa prop... terea, firmaque opus est voluntate, pari st... dio, ut illa dissimillimarum rerum... cietas confirmetur. Quæ cum ita sint, ejus... modi studium voluntasque in causa est... concluditur, cur vocibus, sonisvè, qui...

hil, ut philosofabamur, aliud sunt, nisi aeris trepidatio, ideoque à cogitationibus toto, ut dicitur, cęlo aberrant, potuerint ideę, possintque conjungi: quod eram quidem conficere aggressus.

Sed, quod ceperam, nomen, sive, ut Dialecticum agam, vocalis terminus (sic enim nomen vocant Logici) ob eam rem, quia utrumque definit, ac terminat propositionem) vox est articulata, ad perceptiones, res que ipsas perceptas significandas instituta. Sunt quidem horum genera benè multa; sed ea omnino, quę observatu digniora sunt, intellectuque declaremus. Alius itaque terminus cathegorematicus dicitur, sincathegorematicus vero alius. Cathegorematicus autem, qui et categorema vocatur, is

est, qui per semetipsum, et perceptionem,
rem ipsam perceptam significat, ut homo
ut animal, ut planta, ut sexcenta hujus
modi. Sincategorematicus, contra nisi
categorematico consociatus, denotat nihil
ex. c. omnis, nullus, quidam, ceteri. Sinca
gorematata quoque eos vocant terminos lo
gici, qui sincathegorematici vulgò dicun
tur. Simplex prӕterea terminus appella
tur, qui ex uno dumtaxat: qui verò è plu
ribus constat nominibus compositus, se
complexus. Primi generis illi sunt: Deus
homo, leo: secundi hi, Deus omnipotens
mo inverbis, leo rufus.

Terminum insuper substantivum
cate, qui rem significat per se constantem
ut mens, corpus, consimilles. Qui verò r

modificationem exhibeat adjectivum, sapiens videlicet, pacificus, truculentus. Neque verò eum terminum prætermittam, qui obid concretus dicitur, quia subjectum formâ affectum aliquod representat; prudens v. c. castus, munificus. Huic affinis est ille alius, qui formam ipsam, subjecto suo multatam indicat; ut prudentia, castitas, munificentia, ideoque abstractus nominatur. È concretis abstracta dicuntur. Sic ab Appio, et Lentulo, Appietatem Tullius, et Lentulitatem deduxit. (1) Quo quidem exemplo multi abusi sunt logici, ut et petreitatem, et pauleitatem, et à sicut sicuitatem, aliaque his finitima verborum monstra deducerent.

(1) Famil. epist. 7.

Universalis præterea terminus qui multa significat, ut animal; qu nec definitum, ut aliquod animal, pa cularis; qui tandem unum, certumq definitum, ut Bucefalus, singularis minum atexitote finitum, qui aliq definite significat: ut dixitas, lenitas; et finitum, qui nihil ostendit determina non dixitas, non lenitas. Hisce namq minis licet, quid res non sit exprimatu quid tamen illa ipsa sit, reticetur omn no. Quæ autem nomina ad res prout in sunt, significandas adhibentur, primæ tionis, vel intentionis dicuntur: quæ ad ip vero exprimendas, prout in mente sun tim, secundæ. Illa sunt homo, animal, c ra: hæc species, genus, similia.

Superest partitio termini celeberrima, scilicet, univocum, æquivocum, et analogum. Univocus ille dicitur, qui multis ob eamdem penitus rationem tribuitur: ut homo, vel animal. Æquivocus autem contrà, qui pluribus significatione planè diversa rebus est indictum: cujus modi esse canis nomen videtis, quo domesticum illud, idemquè notissimum animal denotatur, quidam etiam piscis, atque cælestia duo sydera, quorum alterum canis maior, et Syrius; alterum minor canis, vel canicula ab Astronomis appellatur.

Analogus tandem est ante dissecandus, quam definiendus. Duplex est enim attributionis videlicet, vel proportionis. Superior is est, qui multis rebus ob eamdem qui-

dem rationem tribuitur, modo tamen cuiq[ue]
diverso: ex. c. sanum produco, qui ut in hom[i]
ne, medendi arte, venarumque pulsu sa[ni]
tatem significet; non tamen in omnibus
id accidit uniusmodi. Nomen namque
illud homini applicatur, uti sanitatis su[b]
jecto: medicinæ autem, ut ejusdem sanita
tis causæ; venarum denique pulsui, tanquam
indicii sanitatis. Inferiorem jam vero
lum habete, qui multis quidem rebus di
versas ob rationes imponitur, modo tam[en]
eodem: caput v. c. quod supremæ et hom[i]
nis, et montis, qui res sanè sunt diver
simæ, imo uniusmodi habitæ, cum pars i[n]
utrobique sublimior, parti tribuitur.

Terminum ad extremum notabi[s]
materialiter, et formaliter (sic enim

qui solet Logicus (et si barbarie) summi posse.
Primo quidem modo sumetur, cum pro
litteris, et silabis, quibus tenebitur, accipi-
etur: ut si dixero: homo tribus litteris cons-
tat, duabus vè sylabis continetur; accipiam
enim vocem homo, ut patet, pro semet ip-
sa. Altero autem continget, cum termi-
nus pro idea, revè, quam exprimit, sump-
tus exit: ut si hunc in modum loquar,
homo est animal rationis particeps; ho-
mo est morti subjectus. Ac hæcce qui-
dem vobis præcipua, quod ad Logicam
attinet, genera terminorum. Sed an-
tequam capiti finem impono, id vos
edoctos velim, ac persuassos, cum ea-
tenus voces adipisci adhibeamus, qua-
tenus ab aliis possimus intelligi, ipsis

que cogitationes nostras communicem
ob obscuris, ambiguis, inusitatis, tra
latisque vocibus nobis esse abstinen
quod ni fecerimus in Logicam pecca
mus, necesse est. Hæc namque qu
admodum ab illius limine cogno
tis, non modo in recte cogitando, v
rum etiam in recta explicanda ve
cogitationum via, et ratione ver
satur. Ac de primo quidem cogi
tandi genere
satis.

ARTIS LOGICES

LIBER 2.s

DE JUDITIO.

Sequitur judítium, quod est quidem quemadmodum Logicę initio exposuimus, secundum humanę mentis cogitationum genus. De illo autem quinque arbitror explicare capitibus, ea nempe lege, ut primum de natura, et varietate juditij, de prejuditijs quoque, horum que vitandorum ratione precipiam. De propositionis deinde natura, et diversitate. Post de quibusdam propositionum affectionibus. Tum de defi-

nitione, ac divisione, nec non legi[...]
ad quas illæ exigi debent. Artis p[...]
tremo Criticæ, quâ nihil Logicis [...]
tu dignius expectatur, nihil esse [...]
sis antiquius debet, et charius, in[...]
lutiones accedent.



CAPVT 1.m
DE NATVRA, ET VARIETATE JVDITI, DE PRÆJVDITIIS, HORVMQVE CAVENDORVM RATIONE.

Ea est itaque mentis nostræ intelligentia, ut non modo sibi queat res omnes nudè repraesentare, hoc est, earum formas, et imagines in ipsa depingere, ab omni se affirmatione, negatione vè abstinens: verum etiam formas illas ipsas, vel imagines rerum, quas ideas, ut alias dixi, vocant Philosofi, versare potest, alteraque alteri parare, ut, conveniant inter semetipsa, nec ne conveniant, pers-

picere valeat. Convenientiam autem, vel discrepantiam, quæ inter ideas reperitur idearum relationem vocamus: judicium quę propterea definivimus, relationis inter duas, pluresve ideas intervenientis perceptionem. Tunc namque mens nostra judicare dicitur, cum idearum convenientiam, vel discrepantiam internoscit. Agam adhuc, si potuero, dilucidius. Mens namque ipsa primum rerum ideas in semetipsa describit; alteram deinde alteri confert, ut earum relationem percipiat. Jam si ipsas convenire, quod est nihil aliud, quam unam alterā contineri percipiat; unam de alia dicitur affirmare; sin autem non convenire, negare. Hujusmodi affirmatione, et infitiatione, quę

est, ut videtis, à relationis idearum perceptione distinctum, sita est natura judicii: quod id circo genus perceptionis quoddam revera esse, ab ipso in Logicem ingressu pronunciaram.

Ex quo fit, ut judicium omne ajens, negansve sit. Ajens enim illud erit, quo ideam unam alteri convenire noverimus; contra negans, quo ideam ideæ minimè congruere percipiemus. Harum autem idearum illa subjectum dicitur, cui tribuimus, seu à qua ideam alteram removemus; hæc vero, quam illi tribuimus, ab ipsavè seponimus predicatum, seu attributum. Exemplo id clarere eficiam. Cum enim Deum æternum esse judico, ideæ Dei æternitatis ideam tribuo,

quod ambas inter se convenire percipia[t]
ideoque prima subjectum, altera prædica-
tum, attributumve dicitur. Pariter cu[m]
hominis mentem judico non esse mor-
lem, ab idea humanæ mentis, ideam m[or]-
talitatis removeo: quæ ob id ipsum præ-
dicati nomine donatur, vel attributi, ut i[l]-
la alia subjecti. Id autem notetis oppor-
tet, si judicium erit ajens, quæ idea præd[i]-
catum sit, eamdem posse attributum [vo]-
cari; sin autem negans erit judicium præ-
dicati tantum nomine ideam illam don[a]-
ri debere: quod cur ita sit, patet.

Ex quibus illud etiam emergit, cum
ajens, tum negans quodque judicium ve[ri]-
tatis expers esse, vel particeps necessari[o].
Verum illud erit, quo convenientes inter

ideas conjungemus, vel separabimus discrepantes. Falsum contrà, quo discrepantes copulabimus, aut arcebimus congruentes. Sic qui vel Deo æternitatem tribueret, vel ab hominis mente mortalitatem arceret, is optime judicaret; pessime verò ille, qui aut menti mortalitatem adscriberet, aut à Deo æternitatem duceret removendam: verum nihil est, quod in re tam perspicua, tantopere immorari velimus: quocirca de præjudiciis videamus.

Est autem jurisconsultis præjudicium, teste Asconio, statuta res afferens judicaturis exemplum, quod in eadem causa, vel paribus sequantur. Logicis verò præjudicium est error in judicando commissus. Error autem judicio-

rum confusio, atque perversio, sic ut vera p
falsis, falsa vè pro veris habeantur. Atq
præjudiciorum omnium fons unus est men
tis nostræ in assentiendo, vel dissentiendo
meritas: hoc est præcipitantia, inconsidera
tiave in judicando. Quo circa commodissime
Tullius præjudicatam opinionem illam esse
definit, cum temere falsæ rei, vel non sat
cognitæ, ac exploratæ assentimur. Plura s
lent præjudiciorum genera distingui: atq
tamen, mea quidem sententia, præcipua
sunt, proprietatis, ut ita dicam, unum, h
manæ aucthoritatis aliud. Nimius enim
nostri amor in causa sæpe est, cur, quæ p
pria invenerimus meditatione, ea veriss
habeamus. Atque ubi affectus ejusmodi,
potius vitium animum occupavit; nihil

bis, nisi quod nostrum est, placere facit; cęterorum vero cogitata hominum, tamquam inertias, et fabulas, displicere. Et hoc quidem proprietatis est; illud auctoritatis. Tantum enim apud nos solet interdum aliquorum auctoritas hominum valere; ut nulla ducti ratione, sed eorum judicionisi et fulti dumtaxat; probare quędam audeamus, vel improbare. In horum autem pręjudiciorum primo plus nobis, quam par est, arrogamus; in altero plus quam deceat, aliorum tribuimus opinioni.

Hoc vero pręjudicia vitare qui volet, (omnes autem velle debebunt) tamdiu judicium sustinebit, quod res, de quibus erit judicandum, habeat perspectissimas. Est enim, ut antea dixi, temeritas in ju-

dicando errorum omnium causa, quæ ... judiciis nostris irrepunt. Præterea Eclecticorum more nobis erit philosofandum, si quam plurima vitare præjudicia velimus. Eclectica autem ea dicitur Philosofia, ... qua non quis quidpiam senserit, quæritur, sed quam rectè, quam verè, quam rationi concorditer quilibet sentiat. Hæc in secta Philosoforum sapientia ratione perquiritur: ratio autem periclitationibus, et observationibus regitur, intimo præterea sensu, ratiocinatione; vel etiam autoritate, si ejusmodi fortè res sint, quæ aliter sciri non possint.

Quæ sane philosofandi ratio, cum omnibus adhibenda sit, tum ei maximè, qui Teologica profitetur, ab ipsa verè sacra ...

tur facultate. Teologus enim nullius esse debet philosoforum scholę sectator. At verò hac philosofandi libertate abuti, aut ad omnium philosoforum contemptum, aut ad Divinarum Scripturarum; pessimum quidem est, et ipsi rationi contrarium. Quinimo, qui ita se gerant, non ego eos Eclecticos dixerim, sed insanos, sed superbos, elatos, impios, imprudentes, omnique ratione vacantes. Itaque tam is in errore versatur, qui omnia Platonis, vel Aristotelis, hujus illius vè filosofi dogmata nullo probat examine, quam qui omnia eorumdem placita similiter improbat. Quid attamen eo petulantius homine, qui brevissima humana ratione confissus, ac fretus, Divina contemnit auctoritate? Quid tandem est, nisi hoc sit, omne

prorsus rationem exuere? Ac de judicii

quidem hactenus.

CAPUT 2.m
DE PROPOSITIONIS NATU RA, ET DIVERSITATE.

Doceam de Propositione, Enunciatio-

neve, qua utimur, ut nostra cum aliis judi-

cia communicemus: ut enim nomina ref[e]-

runt perceptiones; sic verba, sive proposi[tio]-

nes judicia, quippe cum tota orationis vi[s]

in verbo sit posita: de quo nihil amplius ex-

plicem, quod in propositione, quam explana-

re aggredior, reperiatur. Est igitur proposi[tio]

Logicis oratio: unum ajens, vel negans de al-

tero. Tribus illa tenetur partibus, subjecto

licet, copula, et prędicato, seu attributo. Cum enim judicium omne duarum saltem idearum collatio sit: signum ejus scilicet propositio, duo saltem habeat terminos, quibus ideę significentur, opportet: verbum insuper, quid idearum collationem, relationem que ē collatione ipsa cognitam, indicet: quod propterea dicitur copula, quia est termini utriusque conjunctio. Terminus autem ille subjectum, propositionis dicitur, de quo alter dicitur, vel negatur: qui verò de subjecto negatur, vel dicitur, eum attributum Logici, vel prędicatum vè nominant. In hac igitur propositione, quę ex. c. ponatur, Deus est justus, Deus quidem subjectum est, justus autem prędicatum, est denique copula. Interdum non omnia hęc enunciantur, vel

efferuntur; atque adeo supplenda sunt. S[illegible]
namque prędicatum, latet in verbo, u[illegible]
si dixero, ego sum: quod idem est, ac si
cam, ego sum existens. Non numqua[m]
uterque in verbo terminus delitescit: ut
tribus illis Cęsaris verbis, veni, vidi, vic[i]
conspicimus; quę ad hunc modum expli-
canda sunt Logico; ego fui veniens, viden[s]
ac vincens. Quinimo verbum ipsum reti[ce-]
re aliquando solet, ut in illo Virgilii: m[e]
Polidorus ego, suplete sum.

In quibus autem propositionibus su[b-]
jectum patet, copula, et prędicatum: eas [lo-]
gicas, perfectasque Dialectici vocant: im-
perfectas contrà, vel criticas, in quibus [ve-]
rum aliquid occultatur, ac tegitur. N[on]
vero oratio omnis verbo, et nomine co[n-]

tans, enunciatio est; sed illa dumtaxat, quę ait, aut negat. Quo circa, quę per verba infinita efferuntur, aut quibus petitur, promittitur, imperatur, cum enunciet nihil. Enunciationes dici non possunt. Et hęc quidem de propositionis natura.

Ejusdem autem varia genera ab ipsius quantitate sumuntur, qualitate, materia, forma. Quantitas propositionis subjecti ipsius amplitudo est. Qualitas autem pręcipua afirmatio ejus, vel negatio: secundaria, quę manat ab illa, quę primaria dicitur, veritas ejus, vel falsitas. Materia deinde sunt termini, e quibus est ipsa conflata. Forma denique nexus, vel copula terminorum. Age vero quo ad propositionis attinet quantitatem, quadru-

plex propositio ipsa est, universalis, particularis, singularis, indefinita. Universalem illam habete, cujus subjectum generaliter accipiatur: ut omnis mens est simplex substantia: homo nullus est lapis. Particularem, cujus subjectum particulare sit: ut quidam homo est dives. Singularem præterea, cujus est subjectum singulare; ut Petrus est Sacerdos. Indefinitam postremò vocate, cujus subjectum universale cum sit, nullam tamen universalitatis, ut ajunt, notam præ se ferat, ut homo rationis est particeps. Non enim in ea, vel omni, quæ universalitatis notæ sunt, reperiuntur. Barbaram autem universalitatis vocem Logicus adhibet, quod ipsi indulgere debemus, cum his

in rebus sępe latinitas non sufficiat. Sed distrahor. Illę itaque propositiones, quas diximus indefinitas, cum earum materia necessaria erit, vniversales; cum verò erit materia contingens, particulares habendę sunt.

Eòdem tria accedunt animadvertenda: Primum: quatuor litteris totidem propositionum genera sic à logicis indicari, ut A universalem ajentem, E universalem negantem, I particularem ajentem, O particularem negantem, intelligi velint. Secundum: propositionis universalitatem, Methafisicam esse posse, vel Moralem. Illa nullam: hęc aliquem patitur exceptionem. Sic quod homo sit nullus, quin rationem habeat, hęc positio, om-

manda negabit, vel asseret inficianda. Quæ quidem omnia tam sunt in medio posita, quam quæ maximè.

Sequitur propositionis divisio, quæ ab ejus materia desumitur. Est autem hoc ce modo inspecta propositio, simplex, complexa, composita. Prima est, quæ simplicibus terminis continetur; v. c. Deus est unus. Altera verò, cujus uterque terminus complexus est, vel saltem alteruter. In ejusmodi autem propositionibus integra propositio aliqua subjectum esse potest, vel attributum; quæ propterea incidens appellatur, quod in aliam, quæ præcipua et est, et dicitur, quasi incidere videatur. Ita hujus propositionis subjectum, homo, qui Deum diligit, justus est; illam continet orationem,

qui Deum diligit incidentem: reliquæ principalem respiciunt enunciationem.

Atque incidentium propositionum aliæ explicationis, ornamentive gratia ponuntur, quæ propterea explicativæ vocantur, (latinè autem explicatrices appellarem) aliæ ut de subjecti, prædicative amplitudine quidpiam limitent, quæ idcirco restrictivæ, hoc est, contingentes, et coharctantes vocantur. Explicatricis propositionis exemplum esto hæc: Elisa, vel Dido, quæ Beli junioris, Regis Phœnices, filia fuit, Cartaginem substruxit. Incidens propositio illa, quæ Beli junioris, Regis Phœnices, filia fuit, subjectum tantum explicat, non illud tamen, aut amplificat, aut coercet. Coharctantis verò hæc alia:

homo, qui aliena rapit fur est, vel potius raptor." Incidens namque, qui aliena rapit, subjectum, ut cernitis, limitat: ne omnem significet hominem, sed tantum aliena rapientes.

Composita dicitur propositio, quæ multis subjectis, attributis vè constat, uno verbo connexis. Hæc autem compositio cùm patet, explicita; cum vero latet, implicita dicitur propositio. Explicitæ sex generа distinguuntur, ut aliæ copulativæ sint, aliæ disjunctivæ, conditionales aliæ, aliæ causales, relativæ aliæ, aliæ denique discretivæ, ut Dialecticis loqui perplacet. Copulativam itaque propositionem dicite, cujus membra conjunctionibus et, atque, ad, que, quas Grammatici copulas vo-

cant, conjuncta sunt: cujusmodi hęc, quas subjicio: Philosofia naturale Dei donum est, naturaliumque donorum omnium prestantissimum: Virgilius, et Ovidius sunt Poëtę. Disjunctivam autem, cujus membra disjunctivis conjunctionibus connectantur: ex. c. quęvis actio, aut est bona, aut mala. Conjunctiones etenim, aut, vel, sive, hisque affines disjunctivę a Grammaticis appellantur.

Conditionalis, sequitur propositio, grece Hypotetyca, cujus partes sunt nexę particula si, ut si utilitas amititiam constituet, eadem tollet. Hujusmodi autem propositionum ea pars, cui preit particula si, antecedens, altera consequens appellatur. Deinde causalis, cujus membra particulis

causam indicantibus aliquam, conjunguntur: v.c. Deum propterea super omnia diligimus, quod inter omnia sit optimum. vel hęc, divina servamus pręcepta, ut ęternam nanciscamur fęlicitatem. Relata, seu relativa, cujus altera pars refertur ad alteram: ex. c. ego tandiu requiesco, quandiu ad te scribo; vel hęc alia, qualem te antea prębuisti, talem te hoc tempore impertias. Restat discretiva, discreta vè propositio, quę diversa duo eodem de subjecto judicia complectitur: ut ea sunt omnia, non â natura, verum â Magistro; vel illa, non est in parietibus respublica, at in aris, et fossis: hoc est, in religione, et patria.

Implicitę propositionis quinque genera numerantur, ut alia exclusiva

sit, alia exceptiva, comparativa alia, alia inceptiva, alia insuper desitiva: sic enim loqui amant Dialectici. Exclusiva ea dicitur, quæ exprimit, aut attributum nulli alii, præter quam suo convenire subjecto; aut secus nullum aliud attributum, præter suum, suoque subjecto congruere; ex. c. has profero enunciationes: Deus tantum sempiternus est: hoc est, Deus sempiternus, neque quidquam, quod Deus non sit, ejusmodi perpetuitate potitur. Ecce aliam: voluntas tantum velle potest, quæ exponitur ad hunc modum: nihil aliud efficere quit voluntas, quam velle. Exceptiva deinceps, quæ attributum fere amplitudine subjecti enunciat, ob id quod illud

restringit quodammodo: cujusmodi hæc est, omnia præter Deum sunt mutationi subjecta. Prætereà comparativa, quæ duorum exprimit collationem: v.c. melior est sapientia, quam vires: melior est sapiens viro forti. Deinde inceptiva, quæ quidpiam esse incipere denotat: ex. c. noctescit, hoc est, tenebræ incipiunt, aër caligine obducitur: quæ sic amplius explicatur: hucusque dies fuit, nunc autem esse nox incipit. Desitiva postremo est, quæ indicat aliquid piam non esse incipere: ut Petrus desinit esse miles; hoc est, hactenus militavit, jam nunc militiam deserit.

Eam tandem aliquando propositionis divisionem attingimus, quæ ab ejus forma proficiscitur: sic itaque propositio accepta

in necessariam, tribuitur, et *fortuitam*: *possibilem*, ut ajunt, et *impossibilem*. Necessariam definio, cujus termini necessaria connexione junguntur: ut *homo rationis est particeps*. Fortuitam, quam et contingentem appelant, cujus termini haud necessario nectuntur: ut *Petrus est Logicus*. *Possibilem*, cujus termini conjungi valent: ut si dixero: *Petrus erit locuples*. Tum impossibilem, cujus nequeant termini cohęrere: veluti hęc: *homo rationis est expers*, hęc vel alia: *circulus est quadratus*. —

Pręterea si propositiones ejusmodi, ut sunt expositę, sic referantur, absolutę: sin autem modus, quo attributum subjecto convenit, exprimatur; modales dicentur,

ut Scholarum dialectum nonnumquam necessariam adhibeamus. Itaque illę ipsę absolutę propositiones, quas proxime dictavimus, modales fient, si dicemus: necesse est hominem rationis esse participem; fortuitum est, Petrum esse logicum; fieri potest, ut Petrus sit locuplex; fieri nequit, ut homo rationis sit expers. Hęc fere de propositionis natura, et varietate Logici docent.

Sed quoniam per multis id placuit auctoribus, ut Matematicorum via, et ratione cum logicam, tum cęteras Philosophię partes tractarent, opere pretium est, earum explicationem propositionum subjicere, quibus Mathematici suis in scriptis utuntur. Apud ipsos enim reperiuntur propositiones Theoreticę, et Practicę, demonstrabiles

Postulata, et axiomata, theoremata, problemata, lemmata, corolaria, et scholia. Hęc autem voces, quę magna ex parte grecę sunt, quid valeant, non audiatis modo vellim, sed auscultetis: multa enim scripta sunt docte, quę nisi teneantur ista, intelligi profecto non possint.

Theoretica ergo illis est propositio, quę quidpiam cognoscendum edocet, non faciendum, ut Deus est omnipotens, homo ratione non vacat. Practica, qua quidpiam fieri posse docetur, vel esse faciendum exigitur: v. c. fieri potest, ut qui nunc mortui jacent, statim revocentur in vitam; fac alterum mundum existere posse, ut potest quidem certe. Indemonstrabilis deinde ea est, quę statim cuique patet, atque is

terminos, quibus illa tenetur, intelligit: cujusmodi hęc est, idem simul esse, ac non esse nequit; aut illa, totum est sua parte quavis majus. Demonstrabilis, quę cum non ex ipsis terminis pateat, ut demonstretur, opportet; ut illa, mens humana immortalis est. Ac si homo pręterea est propositio indemonstrabilis: ex. c. totum est sui qualibet parte majus. Hic autem illud intelligatis, axiomatis nomine, eam significari propositionem, cujus tanta sit perspicuitas, ut nullis aliis ad assensum extorquendum pręsidiis egeat: nihil enim axiomata cum primis principiis, de quibus me alias docuisse recordor, differre cognoscite. In axiomatibus quoque illę habentur propositiones, quę propterea dicuntur identicę, scili-

cet barbarę, quia idem cum voce, tum sensu de ipso affirmatur: ex. c. Deus est Deus. Petrus est Petrus; quod soliditate vacat, soliditatis est expers, cętera.

Postulata insuper propositio est Practica indemonstrabilis, qualis hęc est, à quovis puncto ad aliud quodlibet lineam duci. A quovis puncto, ac intervallo quovis describi posse circulum. Theorema propositio est theoretica demonstrabilis; Problema vero practica demonstrabilis propositio: ex. c. quod mens sit, id solidum esse non potest; qui multa scire velit, is esse debet studiosissimus. Deinde lemma, quod est propositio ab alia, quam ea est, in qua versamur, disciplina desumpta, ut veritatem aliquam demonstremus. Quapropter

sic, ut hoc, quod ad Ethicen pertinet, velliti efficere, prudentiam scilicet actuum ejus ipsius virtutis iteratione comparari, illud a Metaphisica accipietis, habitus iteratis ejusdem generis actibus coalescere: hæc ipsa methafisica propositio Lemmatis nomen accipiat. Corolaria, consectariave propositiones sunt, quę ex aliis sequuntur: ut ex hac, corpora gravia sunt omnia, illa, ignis ergo gravis est, manat. Scholia deniquę propositionum, quę subobscurę viderentur illustrationes. Annotationes enim quędam sunt, demonstratarum usum propositionum, historiam, objecta, vel objectationes. (objectationes namque latine putor, non dicitur) aliaque propositiones ipsas alluminantia continentia.
Atque adhuc ea dixi, quę propositionum va-

rietatem, et naturam attingunt: nunc earum afectiones, seu proprietates explicentur paucissimis, ne longiores, quam, et volumus, et promissimus, evadamus.

CAPUT 3.m
DE PROPOSITIONUM AFFECTIONIBUS.

Affectiones itaque propositionum sunt oppositio, equipollentia (sic enim â Logicis appellatur) atque conversio. Oppositio est duarum pugna propositionum ex eodem subjecto, et prædicato constantium. Quatuor autem modis ea intelligi potest. Quæ namque propositiones sola quantitate pugnabunt, ut omnis homo rationis est particeps, aliquis homo rationis est particeps; subalternas e-

as dici cognoscite. Quæ sola vero qualitate con-
certent, modo universales sint, ex. c. omnis
bellua cognoscit, bellua nulla cognoscit, con-
trarias. Sin autem particulares, ut aliqua
bellua cognoscit, aliqua non cognoscit; subcon-
trarias. Quæ tandem propositiones et quanti-
tate, et qualitate contendent, eas contradicen-
tes, seu contradictorias appellari: ex. c. omnis
arbor vitam participat; arbor aliqua non
participat vitam. Sunt, qui singulares, inter
se quidem pugnantes enunciationes ad con-
trarias referri debere contendant; quod tan-
tum pugnent, quantum pugnare, et conten-
dere possint: quales eæ sunt: Plato omnium
est Philosoforum princeps, Plato non est om-
nium princeps Philosoforum. Plerisque vero
contradictoriæ sunt singulares ejusmodi e-

nunciationes, et, ut reor, verissimè: medium enim numquam ullum patiuntur, pativè possunt.

Contradicentes insuper propositiones neque veræ, neque falsæ simul esse possunt; propterea quia inter attributa contradicentia, ut ante diximus, medium interesse non potest. Contrariæ deinde, numquam simul esse veræ possunt; inde namque id efficeretur, quod fieri nequit, contradicentes propositiones simul esse veras aliquando posse. Si enim simul essent veræ hæ, omnis homo est animal rationis particeps, homo nullus est rationis particeps; vera item hæc evaderet, aliquis homo non est rationis particeps, quæ priori contradicit; quod si in materia exunt contingenti, esse simul falsæ

poterunt, propterea quia, quod speciei contingenter inest, alicui potest convenire individuo, alteri non convenire. Inter has itaque propositiones; omnis homo est justus; nullus homo est justus, medium interest hocce, aliquis homo est justus, vel aliquis homo non est justus.

Subcontrariæ simul esse falsæ nequeunt, quod inde propositiones contradicentes esse posse una falsa relinqueretur. Quare si falsæ sint illæ, aliquis homo rationis est particeps, aliquis homo non est rationis particeps; erit quoque falsa hæc, omnis homo rationis est particeps, quæ superioris particularis negantis contradicens est. At cum in materia fortuita versabuntur, esse simul veræ poterunt: quod satis est cuique perspicuum. De subalternis, denique propositionibus, quæ

universalis sit, quam *subalternantem* Logici vocant, esse vera nequit, quin vera quoque sit particularis, quam dicunt subalternatam. Quod si earum sit materia fortuita, esse falsa poterit subalternans, cum verissima sit subalternata: quod patet. Atque de propositionum oppositione satis est dictum.

De *ęquipollentia* autem, ea nihil est aliud, nisi pugnantium conciliatio propositionum, vel particula non. Si hęc namque alterutrius contradicentis propositionis subjecto pręponetur, contrarię postponetur, subalternę ante, postque ponetur; ex oppositis fient ęquipollentes. Quod insulso illo, putidoque versiculo continetur:

Prę contradic, post contrar, prę, postq. subalter.

Quę propositiones subcontrarię dicuntur,

hę autem respiciunt ęquipollentiam, aut cer-
te conciliatio perquam obscura est. Vt enim
illa: quidam homo est sapiens, hujus, qui-
dam homo non est sapiens, ęquipollens red-
deretur; negationibus neganda esset hoc mo-
do: non non quidam homo non est sapiens, vel
hocce per similé, nec non quidam homo est
sapiens.

Restat propositionum conversio. Est
autem subjecti in prędicatum, versa que vi-
ce mutatio, qualitate propositionis semper
immota, at mutata non numquam illius
quantitate. Ex quo fit, duobus modis esse
posse conversionem, aut ita videlicet, ut ea-
dem propositionis quantitas perseveret, quod
accidit in universali negante, particulari-
que afirmante; ex. c. bellua nulla res est im-

sensibilis, res nulla insensibilis bellua est: homo aliquis justus est; justum aliquod homo est, quae quidem conversio, quod quantitas propositionum mutata non sit, simplex appellatur. Aliter etiam fieri potest, si nempe propositionis quantitas commutabitur: v.c. omnis homo est vivens, aliquod vivens est homo: homo nullus est lapis, lapis aliquis non est homo, et haec quidem conversio, quae in universali ajente, neganteque locum habet solummodo, per accidens nominatur. Conversionis autem utriusque propositionis, universalis nimirum ajentis, negantisque discrepantia in eo sita est, quod attributum ajentis non secundum totam suimet amplitudinem affirmetur, sed secundum subjecti latitudinem tantum. Contra negantis prae-

dicatum propositionis de subjecto negatur omnino. Leges autem illas conversionis versiculus superiori simillimus comprehendit.

E, I, simpliciter convertitur, E, A, per accidens.
Sed plura hic prætterimus, quod nullius ferè si oppositionis doctrina eximitur, quam tradidimus, ussûs sint.

CAPUT. 4.^M

DE DEFINITIONE, DIVISIONE, AC LEGIBUS UTRIUSQ.

De illis dicere aggredior propositionibus, quæ potissime à Logicis spectantur, definitione, nimirum, et divisione. Definitio est oratio, id, quod in re, aut in voce aliqua delitescit, exponens. Hæc vox duplex esse con-

cluditur, rei videlicet una; vocis, vocabuli sive nominis altera. Est autem vocabuli definitio, quę vocis alicujus significationem explanat. Hujusmodi definitionem afferret, qui interrogatus, quid Philosofię voce intelligeret, studium diceret, et amorem sapientię. Quod sanè definitionis genus propterea maximi ducendum existimo, quod ejus ope, quę sępius contentiones ē sola vocum ambiguitate nascuntur, facillimè diximantur. Rei autem definitio oratio est, cujuspiam naturam explicans implicatam. Quod definitione aliqua declaratur, id Logici definitum uno omnes ore denominant.

Quibus expositis, illud profectò fit, in oratione, quę definitionis rei nomine digna sit,

notas illas, caracteres que reperiendos esse omnes, qui satis omnino sint, ut definitum ab omni re alia, casu quovis, statu, vel tempore internoscere valeamus: quod cum â nobis obtineri nequeat, nisi distinctas definiendarum rerum notiones, completas que habeamus; omnis danda est opera, ut ejusmodi perceptiones comparemus. Ast quoniam paucarum rerum eas omnes notas ob mentis nostræ brebitatem habere possimus, exiguus autem, ne dicam nullus earum est definitionum numerus, quæ hancce mereantur appellationem.

Jam de definitione rite facienda, multa â Logicis præcipiuntur. Primum, ut re definita dilucidior sit definitio. Multa hic peccari possunt. Quinamque vel

definire vellit notissima, omnibusque perspicua; vel idem, ut ajunt, explicare per idem, vel vocabulis utatur obscuris, sinonimis, ambiguis, translatis, improprius, absoletis, aut raris; definito clariorem definitionem non efficiet. Secundum, ut definitum, et definitio penitus inter semetipsa reciprocentur. Itaque alterum ex altero sequi debet, et vicissim; cuique definitio attribui possit, aut nequeat; ei definitum pariter convenire debet, aut repugnare. Tertium, ut rei accidentia neutiquam ingrediantur. Notę siquidem in definitione ponendę rem ab omni alia, quovis et casu, et statu, et tempore discernere debent; quod minus efficiunt accidentia quorum est, ut nostis, tam adesse, quam abesse rei posse, ac

ipsa incolumi permanente. Ex quo quarta manat præceptio, ut rei definitæ attributa essentialia definitio contineat, genus scilicet ejus proximum, infimamque specificam differentiam: ne videlicet res, quæ definitur, cum rebus aliis misceatur. Si qua ergo oratio quidquam horum peccet, descriptio esse poterit; et definitio re vera non erit. Est enim descriptio Logicis rei per aliqua ejus accidentia, seu proprietates explicatio, ut homo est animal bipes. Sed finis sit definitionis.

Meminerimus autem, aliam esse inter omnia propositionem Philosofis utilissimam scilicet divisionem; quæ ita definiri generatim solet, ut sit tota suas in partes distributio; ut si quis jus civile dicat id esse

„quod in legibus, senatus consultis, rebus ju-
„dicatis, juris peritorum auctoritate, edic-
„tis Magistratuum, more, et equitate con-
„sistit. (1) Quod dispercitur; id divissum vo-
catur: ejus autem quod dividitur partes
membra dividentia, quod si hec alia rursus
tribuantur in partes, iterata distributio
hec subdivisio vocabitur, etsi cadentis est
latinitatis vocabulum. Preterea cum mul-
ta sint totorum genera, multiplex etiam
esse debet divisio: quinimo quot sunt totorum
clases, tot esse debent genera divisionum:
ac quatuor quidem totorum precipue sunt
clases, quas Logici distinguere solent, uni-
versalium, essentialium, integralium, potes-
tativum: sic enim, etsi non latine loqui a-

(1) Cicero in topic. c. 5.

mant, quod interdum inopię causa verborum dandum illis est, ac condonandum.

Universale itaque totum vocant, quod in partes universales tribuitur; ut duas in species genus, in homine v. c. et belluā animal. Essentiale, quod in partes dividitur essentiales, ut homo ipse in corpus, et animam. Integrale insuper illud est, quod partibus continetur corporeis. Sic hominis corpus in caput, collum, humeros, manus, crura, pedes, dividi potest. Sed hanc partitionem potius, divisionem nominare Dialecticis placet. Potestativum denique totum est, quod multas continet facultates ut mens nostra sensu[s], imaginandi vim, memoriam, intelligentiam, cęteras. Quę cum ita sint, toti universalis divisio, universalis ā Logicis dicitur; essentialis ve-

rio, essentialis; integralis, integralis, deinde;
potestativi potestativa demum. Huic accedit
divisio subjecti in ea, quæ suscipere potest, ac-
cidentia; ut hominis distributio in sapientem,
et insipientem; sapientia siquidem, pariter, ut
insapientia hominis accidentia sunt. Ac-
cidentis præterea divisio in ea quibus po-
test adhærere subjecta: albedo ex. c. aut ni-
vis, aut calcis, aut lactis profecto est. Sed
ea, quæ hic à Dialecticis tradi solent om-
nia persequi et operis esset infiniti, nec ul-
lius tamen utilitatis. Iis igitur prætermis-
sis, ad divisionis leges accedamus.

Prima est, ut dividentia membra
divisio exsequetur: si enim excedent,
aut deficient, oratio illa desinit esse di-
visio. Secunda, ut membrorum nullum

membrum alterum complectatur. Tertia, ut nihil in divisione, quæ perspicuitatis, ut dicitur, mater est, obscuritatis reperiatur. Quarta, ut membra nec plura fiant, nec pauciora, quam quæ ipsa rei dividendæ natura suppeditet: idem namque, teste Seneca, oratione quæ confirmante, vitii habet nimia, quod nulla divissio. Tum quinta, ut membra ex ordine collocentur: hoc est, ea primum in divisione ponantur, è quibus totum proxime constat; è quibus remote deinceps. Ac de quarto quidem capite hactenus.

CAPVT. 5.m

QVÒ INSTITVTIONES ARTIS CRITICES CONTINENTVR.

Sequitur, ut critices institutiones bre-
viter quidem, sed diligenter, ac enodatè,
quo ad ejus fieri possit contexamus. Neque
verò arbiter ullus, aut opportunior ejus
rei faciendæ locus esse potest, quam ille,
in quo de juditio pertractatur. Constat
enim inter omnes græcè, ac latinè scien-
tes, criticen à crino, quod judicio, discer-
no, discutio vertitur, exoriri. Quocirca,
ut medicinam valetudinis, navigationis
gubernationem; sic criticen judicandi, ac
discutiendi artem vocare, atque interpre-

tari nedum possumus; sed debemus. At quæ- nam illa sint, quibus critici judicare inter- sit, explicandum nunc est breviter, quo dilucidior evadat criticęs definitio.

Res itaque historiam attingentes, di- judicare; veterum, recentumque auctorum scripta intelligere, ac interpretari; varian- tes notare lectiones; vitiata loca expunge- re; peculiaria, et nativa sufficere; mutila- ta reficere; certi ne auctoris, an incerti scripta sint vestigare; ad artis regulas il- la ipsa perpendere; ut in ea peccent, nec ne, reperiantur; vera insuper à falsis, cer- ta ab incertis, ab improbabilibus probabi- lia secernere: aut horum denique ętatem, scientiam, probitatem, vel improbitatem, tempus etiam, quò scripserint, odorari: hæc

inquam, omnia curanda sunt <u>critico</u> diligenter; neque hac de re non omnes eximie hujus artis scriptores uno ore consentiunt. Nam cum omni quidem memoria viguisse criticam ducimus; tum nostra praesertim, qua eo, ut nihil posit ultra, perceptionis devenisse merito, ac jure laetamur. Nec vero hic locus est, ut veteres, ac recentiores criticae auctores nominemus; haud ejusdem artis historiam conscribere meditemur. Multis hae libris accurate ab aliquibus dictae sunt, quae brevitatis causâ, et institutionum, et temporis praeterimus.

Atque ad propositum redeuntes, non prius orationis vela pandemus, quam ipsam Logicorum remis aliquantulum propellamus. Nam ut illorum improbo con-

suetudinem, qui cum de hujusmodi rebus disputant, magnam partem in iis definiendis, partiendisque occupantur, illa ipsorum per exigua oratio est, qua leges, ac præcepta traduntur; sic horum viam probare nequeunt, qui præceptionum, ac legum nubem afferentes, partiendi, atque definiendi spinas omitunt. Est igitur hæc Joannis Clerici definitio, ut criticæ sit ars
„ intelligendorum veterum scriptorum, si-
„ ve numeris adscripta, sive soluta orati-
„ one utentium, ac dignoscendi, quænam eo-
„ rum genuina scripta sint, quænam nothæ
„ et spuria. (1) At cum non antiqua solum monumenta criticus, sed recentissima non scripta modo, verum etiam gesta sua ipse

(1) In præfat. Art. Crit.

trutina examinet; mancam propterea, et imperfectam hominis definitionem putamus.

Quidam brebius, et planius, criticem "artem esse caventem, ne in juris, facti've "rebus judicandis, æstimandisque decipia"mur; atque in brebi hacce, et circunscripta criticæ explicatione ea omnia reperiantur inclusa, quæ ad criticos attinere supra docuimus. Rerum namque juris nomine dogmatica; facti verò historica intelliguntur. Et dogmata quidem auctorum placita dicimus, doctrinas, sententias: historiam verò sententiarum, factorum've narrationem. Quæ certè, ut justè metiri, atque æqua lance pensare possimus; scriptoris ætatem, ingenium, scientiam, mores,

linguę proprietatem, ac vim, consuetudines populorum, ac ritus, multa denique, et varia locorum, temporum, personarum adjuncta probè cognita, et perspecta habere debebimus.

Hoc autem constituto de cogitationum veritate, et falsitate nostrarum primum dicere aggredior. Humanę deinde mentis status, quod ad rerum cognitionem spectat, exponam. Certam postmodo viam, et rationem ostendam, qua verum à falso, ab improbabili probabile discernatur. Ad divinam, et humanam respicientes auctoritatem regulę consequentur. Deinceps qui suposita, mutilata, vitiataque vis scripta à legitimis, integris, inviolatis, internosci valeant, patefaciamus

Paucis denique interpretandorum scriptorum artem edoceam: quo et erit totius criticae summa contenta, et secunda pars Logicę terminabitur. Exordior, ut sum sum pollicitus; quod autem verum est, auditores, animos ad audiendum erigite.

Veritas ergo, si quidem universe sumatur, est rei sua cum regula convenientia. Neque vero simplex est ejus descriptio, sed triplex. Alia namque rerum est, sententiarum, alia cogitationum: quamobrem prima realis, naturalis, etiam et methafisica; moralis altera; tertia mentalis, et logica à criticis appellatur. Naturalis autem veritas est ipsa rerum naturę divina cum idea, ad quę

ut ad exemplar, sunt exactę consensus.
Huic autem veritati nihil est natura videlicet ipsa contrarium: est enim quidpiam id, quod est moralis, deinde veritas est sententiarum animi cum signis quibus exhiberi solent, consensio: cui, ut est perspicuum, mendacium adversatur: sed de his aliàs: veritatem nunc logicam (quod in rem cadit) videamus.

Est autem ea duplex formalis, ut ajunt, et objectiva. Illa est idearum secum ipsis consensus: vel judiciorum cum ideis è quarum comparatione nascuntur. Huic sane veritati modo ne simus in judicando precipites, nulla est falsitas pugnans. Qui enim fieri potest, ut ideę secum ipsę non congruant; aut judicia cum ideis, à quarum

comparatione proficiscuntur; objectiva deinde veritas est notionum, judiciorumque nostrorum naturali cum veritate, hoc est, cum rebus ipsis consensio. Contra logica falsitas objectiva, perceptionum est, judiciorumque nostrorum à naturali veritate, rebus ve ipsis discrepantia. Hanc autem veritatem, et falsitatem, obid logicam dicunt, quod in mentis nostræ cogitationibus, quæ cure, ut jam pridem docuimus, sunt logicæ, locum habent.

Humanæ autem mentis status, quo ad rerum cognitionem spectat, quatuor numerantur, ignorantiæ, dubii, opinionis, et ut loqui solemus, certitudinis. Latinè autem, ut ego quidem arbi-

trox, stabilitas, aut firmitas diceretur.
Sed cum verbum illud etsi forte barbarum diuturna tamen triverit consuetudo, non numquam erit à nobis adhibendum, ne quid scilicet nimis. Ignorantiæ itaque statum eum dicimus, in quo nullas ejus, quod ignorare dicimus, ideas habeamus. Dubii autem illum in quo ideas quidem rei, de qua dubitamus, habemus; sed ejusmodi, ut neque affirmare illa ipsa de re quidpiam, neque negare posimus; est que duplex status ille, alius namque dubii, quod positivum vocant; alius negativi. Dubium dicitur positivum, cum æquales utrinque rationes adsunt. Negativum contrà cum neutra ex parte, rationes existunt. Intelligentia enim nostra quoad assensum attinet, vel

dissensum, instar libræ est, quæ si vel neutra in lance momentum, vel æquale in utraque habeat; nulla fiet inclinatio, sed æquilibritas permanebit.

Opinionis status est, in quo intelligentia quidem nostra altera ex parte propendet, sed timide, remissè, cunctanter. Hoc autem bifariam evenire potest: quod unâ tantum ex parte rationes menti adsint, nec certæ quidem illæ, ac dilucidæ, vel quia utrinque rationes certæ habeantur, sed altera tamen ex parte graviores. Status denique certitudinis est, cum ita persuassa mens erit, ut in suo judicio nutare non possit. Quod si hæc stabilitas mentis, vel firmitas sit, ut evenit sæpenumero â ve-

ritate disjuncta, ea certitudinis nomen erroris appellatione mutabit. Error siquidem, quod non vos latet, aut falsa est cognitio, quę vera censetur; aut contra vera, quę falsa putatur. Sin autem veritati consentiat certitudo, vel scientia ea erit dicenda, vel fides: et scientia quidem vocatur, cum certitudo ē dilucida per ceptione aliqua, vel ratiocinatione descendit; fides verò, cum sola auctoritate fulcitur.

Atque scientię duo sunt genera; namque aliam simplicis vocant intuitionis, demonstrationis aliam. Superior illa est, quę non ratiocinatione, sed sola idearum collatione habetur. Talis profecto est primorum scientia principiorum, ac

eorum, quę sensu intimo, nulla interveniente ratiocinatione cognoscimus: ut esse nos, cogitare, diligere, lętari, dolere. At quę veritates sola idearum, ē quibus constant comparatione, minime intelliguntur, humanam ex. c. mentem esse simplicem, nec morti obnoxiam; ratiocinatione, hoc est, aliarum idearum auxilio detegendę sunt. Ē quibus emergit, demonstrationis scientiam illam esse, quę nisi ratiocinationis pręsidio neutiquam comparatur. Accedit eodem scientias quoque dici, habitusque scientificos (hoc tamē minus latinè) disciplinas omnes, quę ex ordinata quadam scientię utriusque progressione, ac serie conflantur: ut Aristmetica, Geometria, Logica, Phisica, cętera. Esse nam-

quę in illis debet admirabilis quędam pro-
positionum continuatio, tum suamet na-
tura evidentium, tum ex evidentibus con-
fectarum: ut alię ex aliis annexę, omnes
inter se aptę, copulatęque videantur. At-
que de mentis statibus affatim disseruimus.

Quoniam autem, quę cogitationes verę
non sunt, eę nobis veritatis participes videri
possunt: per magni ad institutionem vestram
interesse video, me vobis securam aliquam
veritatis logicę notam, aut criterion, ut
gręci loquuntur, exponere. Et primum qui-
dem veri tessera, seu criterion, illud est ar-
gumentum, illa vè ratio, qua tutò discer-
nere possumus, vera nè sint cogitata nostra,
an falsa, decipiamur, nec ne decipiamur. Hu-
a in re varia varii. Nos autem tria veri

criteria, vel notas cum Leybnitio statuimus, evidentiam scilicet intelligentiæ, sensuum, auctoritatis: vel methaphisicam, (ut vulgo dici solet) phisicam, et moralem; quod tendit eòdem. Prima est, quæ omnino aliter se habere non potest; qualis eorum est axiomatum perspicuitas, quæ puris nituntur intellectionibus, ob idque intelligibilia vocantur: ex. c. „idem nequit simul esse, ac non esse; totum „est sui parte majus; nihil ex iis, quæ sibi con„tradicunt conflari potest„ idque generis serenta. Claritas quoque ratiocinationum inde nascentium methafisica habeatur.

Evidentia deinde phisica est, quæ aliter se habere non potest, quam præsentis rerum naturæ ordinis inversione, ut ignem comburere, gravia deorsum ferri,

consimilia. Hęc autem evidentia propterea pisica dicitur, sive sensuum, quod in claris sensationibus, ex illis que deductis ratiocinationibus locum habeat. Moralis demum evidentia est, quę aut non solet, aut omnino nequit aliter se habere. Hęc namque perspicuitas auctoritate fulsitur, quę si humana sit, potest quidem evidentia deficere; sed raro tamen, ac insolenter. Nemo enim, ut scite, et apposite Seneca omnes; omnes neminem; singuli singulos fallunt. Sin autem divina erit auctoritas; evidentia deficere neutiquam, aut fallere potest. Quo circa, quę perspicuitas hominum auctoritate nititur, ea est evidentię phisicę habenda finitima; quę vero divina, nihil eam â metafisica evidentia distare credendum. Tam

enim pugnat idem simul esse, ac non esse; quam Deum falli, aut fallere posse. Quę itaque auctoritate constant, aut ex iis legitima complexione sequantur, ea sunt moraliter, ut dicitur, evidentia.

Ut autem, quę ad moralem ipsam pertinent evidentiam, evadant dilucidiora; de fide docenda non nulla. Fides „itaque est„ illi rei assentio, quam nec pu„ra intellectione, nec conscientia, nec sen„su, nec ex illis ratiocinatione profecta, „cognoscimus; sed alterius nobis suadet auctoritas, aut ex auctoritate ratiocinatio. Atque cum narrantis auctoritas scientię, atque probitatis ejus opinione nitatur; quò hęc sit major, eò firmiorem assentionem eficiet, et vicissim. Ita ejus auctoritas, quem

falli, et fallere nescium ducimus D. scilicet D. M. certam in nobis fidem ingenerat. Cum ergo non ex scientia quidem ipsa, et probitate narrantis fides æstimetur, sed opinione, quæ alteri est, credentis videlicet de scientia, et probitate narrantis, persæpe fit, ut eidem ipsi auctori majorem Petrus v.c. Paulus minorem habeat fidem.

Illud præterea, quod jam in proverbii consuetudinem venit, fides est credere, quæ non vides: non sic est accipiendum, ut nullas rei creditæ ideas habeamus. Nullus enim illud credere potest, cujus notitiam habeat nullam: sed ita sumendum, ut ejusmodi notionum convenientiam, vel discrepantiam minime percipiamus, esseque nobis persuadeamus notiones illas

convenientes, vel repugnantes ejus auctoritate ducti, quem nec mentiri, nec falli censemus. Itaque rei, quam scimus, et ideas habemus, et idearum relationem clare percipimus: ejus vero quam credimus, licet ideas habeamus, harum tamen relationem neutiquam cogitatione complectimur. Sic et Dei notio aliqua nobis est, et trium quoque personarum; sed id tamen non intelligimus, quonam pacto uni Deo personę sint tres. Quoniam autem hoc ita esse Deus ipse doceat, qui nec fallere, nec decipi potest; etsi non intelligimus, firmissime nihilominus credimus.

Quid tandem sit secundum rationę, contra rationem, supra rationem esse aliquidpiam doceamus. Atqui secundum

rationem ea esse dicuntur, quæ ideis nostris, quas vel à sensu, vel à meditatione habemus, continentur, aut demonstrantur; ut corpora solida esse, ac extensa; mentes contra nec solidas, nec extensas. Contra rationem ea sunt, quæ cum ideis continentur; axiomatibus, demonstrationibus que in ideis quoque nostris contentis, adversa sunt: mentes ex. c. soliditatis esse participes; ex non extensis extensa conflari: quamquam postremum forte cum ratione non pugnet, ut in phisicis vestigare pollicemur. Supra rationem, ea denique sunt, quorum licet non nullas, divina nempe revelatione ideas habeamus; ex his tamen veritas eorum, aut falsitas nota nobis esse non potest: Deum ex. c. unum natu

esse, ac trinum; in peccato homines nasci; cętera hujusmodi. Quę talia ergo sunt, ea naturalibus rationis nostrę principiis nec afirmare possumus, nec negare, nec demonstrare, nec oppugnare. Quamobrem in his, et affinibus, ad quę brebis ratio nostra non pertinet, rationis in locum auctoritatem sufficimus.

Quibus quidem dictatis, facile intelligetis, quemadmodum notis illis, aut tesseris, de quibus sermo mihi suprà fuit, utendum vobis est. In rebus namque ad puram intelligentiam spectantibus, intelligentię requiritur evidentia in his, quę sub sensus cadunt, sensuum: in historicis demum auctoritatis videte igitur, ne aliam pro alia in rerum cognitione, ac

discutione quæsitis, qui enim in rebus, quæ ad intelligentiam attinent, sensuum evidentiam; aut in his, quæ sensibus subjiciuntur intelligentiæ; aut utramque, vel alterutrā in historicis postulabit; ne is maximo in errore versabitur; suam res quæque sibi vindicat claritatem, nec alia desideranda in illis est, aut requirenda. At suam quisque conscientiam, evidentiæ suæ judicij consulito; ne quando perspicuitatis umbra, et imagine percipiatur. Quod si quis tamen à conscientia sibi sua deceptionis periculum metuit, quod affectibus perturbata sit: communem prudentiorum hominum sensum exploret; in eoque tranquilletur, et acquiescat.

Nunc verò leges accipite, quibus

stare criticus debeat, si quando evidentiarum alia alii pugnare videbitur. Prima est, ut si evidentię methafisicę phisica obsidat hęc falax, illa vera putanda sit; intelligentię siquidem perspicuitas cęterarum est nobilissima; ideoque sensuum evidentię dubio procul anteponenda. Siquis ergo methaphisica conficeret evidentia, accidentia ex. c. nulla esse absoluta; qui pugnans, ut illa essent, sensuum perspicuitatem objiceret, non esset audiendus. Secunda, ut si metafisicę methafisica, Phisicę phisica repugnare perspicuitas videatur, falax habeatur alterutra. Id autę ubi evenerit, communem prudentiorum hominum sensum consulatis, oportet, quo veram, germanamque evidentiam à fala-

ea, et fucosa secernere, ac internoscere valeatis. Tertia, ut si cum phisica evidentia ea pugnaverit, quę humana auctoritate fulcitur, hęc, utpote cum et dignitate, et securitate inferior il la sit, illico deseratur. Quarta, ut fallere putetur sensuum evidentia, cui clara Dei auctoritas refragabitur. Quod si legitimus divinę auctoritatis sensus est dubius, sensuum perspicuitas manet. Quinta denique lege docetur evidentię methafisicę claram Dei auctoritatem adversari non posse. Ratio enim, et revelatio duo sunt divini luminis radii: atque ideo se oppugnare non possunt. Quę cum ita sint, ubi ejusmodi pugna contingere videatur, duo sunt judices consulendi, Catholica nimirum Ecclesia, cujus interest eloquia interpretari divina, et sensus prudentiorum com-

munis, qui evidentiarum arbiter est, ut ante dicebamus, habendus. Hoc namque perfecto, apparet, aut quę evidentia diceretur eam evidentię tantum esse umbram, aut divinam auctoritatem aliter accipiendam.

Sed cum fere omnis humana doctrina probabilitate nitatur, (perpaucula siquidem perspicua cognitione tenemus) res quę nostrę maxima sint parte probabilitate regendę: ut quędam de illa percipiamus, et instituti operis ratio, et nostri prę terea ipsorum utilitas postulat. Quam autem in rem perpulchra illa Senecę cadunt; » Numquam, inquit, expectare nos
» certissimam rerum comprehensionem, quo-
» niam in arduo est veri exploratio; sed ea ire,

„ qua ducit verisimilitudo. Omne hac via pro-
„ cedit officium. Sic serimus, sic navigamus,
„ sic militamus, sic uxores duximus, sic libe-
„ ros tollimus, cum omnium horum incer-
„ tus sit eventus. Ad ea accedimus de quibus
„ bene sperandum esse credimus. Quis enim
„ pollicetur serenti proventum, naviganti
„ portum, militanti victoriam, marito pu-
„ dicam uxorem, patri pios liberos? Sequi-
„ mur quà ratio, non quà veritas trahit.
„ Expecta, ut nisi benè cessura non facias,
„ et nisi comperta veritate nihil moveris;
„ relicto omni actu vita consistit, desinit,
„ absolvitur, perit. (1) Plera que igitur, ut
cæperam, officia hominum conjecturis tan-
tum probabilibus diriguntur, ob idque pro-

(1) Lib. 4. de benef. c. 33.

babilitatis doctrina maximè nobis non utilis modo est, sed penitus necessaria.

Probabile igitur id vocamus, quod, ut falsum sit forsitam, vero tamen affine videtur. Quo circa sic habete, nihil esse aliud probabilitatem, nisi veri similitudinem, quod autem probabile dixerit Aristoteles, "quod videtur omnibus, vel pluribus, vel sa-"pientioribus, vel his quidem, vel omnibus, "vel pluribus, vel maximè nominatis, (1) Extrinsecam tantum probabilitatem descripsit, quia ii, qui rebus ad rationis calculum adducendi apti non sunt, uti quidem possunt, et debent. Duplex enim est probabilitas distinguenda, intrinseca scilicet, et extrinseca. Illa à propriis scientiarum

(1) Top. lib. 1. c. 1.

fontibus, hæc à doctorum auctoritate pro-
ficiscitur. Suos enim disciplinæ singulæ
fontes, locos, aut sedes habent, unde prin-
cipia, et conclusiones hauriuntur ipsarum.

Sunt autem fontes illi sensus, consci-
entia, ratiocinatio, auctoritas; non omnium
quidem scientiarum omnes, sed singularum
fere singuli proprii sunt. In mathematicis enim
disciplinis, methafisicis, phisicis, astronomiis,
medicis tres superiores locum habent; in Theo-
logicis revelatio, et ratio. Atque adeo ratioci-
natio, et auctoritas: in Etica, jurisprudentia
Ecclesiastica, naturalique Theologia ratio
ipsa, et Canones: in Civili deinde jurispru-
dentia leges, hoc est, naturæ populorum,
imperantium placita, in historicis denique
auctoritas ad critices illa quidem leges [illegible]

Age vero, quę propositiones propiis certe, ac perspicuè principiis nascentur, intrinsecus, ac precipuè sine dubio sunt. At quę non certam non claram suis cum principiis connexionem habebunt; eę non certę, sed dubię; probabiles, aut improbabiles; intrinsecus scilicet sunt putandę. Si aut neutra ex parte rationes adesunt, quibus connexio illarum, aut discrepantia firmetur; aut pares utrimque sint dubię habeantur propositiones. Improbabiles autem cum oppositum momentis quidem gravibus; ipsę verò aut nullis, aut lęvibus innitentur. Quod si argumentis non veris quidem, omnem videlicet formidinem propellentibus, sed verò similibus fulctę sint, intrinsecam, ut dicitur

probabilitatem habebunt. Tum si principiis adversas suis esse perspicimus intrinsecus, falsas pronunciare debemus.

Illud insuper estis admonendi extrinsecam probabilitatem, quae nempe ab hominum auctoritate illis in rebus desumitur, in quibus ea ipsa auctoritas propria nequit ministrare principia, ut in methafisicis, phisicis, et similibus longe ab intrinseca tum nobilitate, tum securitate distaret, nec sine ipsa ullo posse modo constare. Itaque si permulti, vel omnes ex. c. Astronomi quidpiam argumento doceant nullo propriis a fontibus derivato, quod habebit intrinseca omnis probabilitas desit, extrinseca nulla penitus esse poterit.

Intrinseca denique probabilitas non majori, minori ve suis cum principiis, sed vero etiam similium argumentorum multitudine crescit, aut imminuit. At extrinseca non auctorum magno, parvo vè numero: sed ipsorum seu paucorum, seu multorum scientia, et probitate augeri, vel minui potest. Ita usuvenit sepè numero, ut extrinseca duorum, vel trium doctissimorum virorum autoritas pluris ducenda sit, quam sexentorum, aut mille etiam idiotarum, aut non eque doctorum. Neque vero historiam objicite, in qua auctorum numerus spectatur, in ea siquidem à testium auctoritate intrinseca petitur probabilitas.

Hec demum de probabilitate à

198. criticis præcipiuntur. Primum, ut duarum opinionum ea, cæteris paribus, probabilior censeatur, quæ pluribus argumentis intrinsecis comprobabitur. Alterum, ut cum idem utrique argumentorum numerus adcrit; cui vel omnia sint, vel aliquot graviora ea verosimilior habeatur. Illud autem gravius dicimus argumentum, quod magis principiis proximabit. Tertium, ut cum de intrinseca agitur probabilitate, qui argumentis discutiendis, perpendendisque sit aptus, vel appropositus, ei, qui probabiliorem suam esse asseret oppinionem, fidem habere non debeat; sed ejus vestigare rationes, quantique sit ponderis explorare. His potissimum legibus sententiarum regitur probabilitas.

Quo ad eventuum probabilitatem

attinet, ipsa in eo, quod contingere soleat, collocatur. Quid autem evenire soleat, vel contingere aut ex consimilium praeteritorum casuum inductione, aut ex contingentium rerum legibus cognoscetur. Cum primam illam viam ingredimur, experientiam: cum postremam causarum dispositionem attendimus. Illa à posteriori; haec à priori vocatur à Logicis, et Philologis, scire v.c. velitis, soleat ne nocturnam caeli ruborem serenitas consequi matutina; nec ne. Benè habet. Quoties consimiles noctes in definito consimilium casuum numero dies illi subsequuti sint, videtote. Quod si eo in numero dies ejusmodi, hoc est, serenos plerumque reperieritis subsequutos; eventum illum ipsum probabilem habere debebitis. D.

Quod enim plerumque, quod crebrius evenit, id probabile est eventurum. Et hoc quidem est, a posteriori, ut dicitur, eventuum probabilitatem vestigari. A priori autem hocce modo. Definire quis cupiat, num Turcarum exercitus, ut exemplum adhibeam, cum Germanorum manu de imperio decertaturus, victoriam de copiis Germanicis reportabit; an Germanicę de Turcis copię triumphabunt. Optime. Is utriusque exercitus multitudinem explorare debet, ac situm: militum deinde virtutem, consiliumque etiam, ac peritiam ducum, cętera denique id genus adjuncta. Quo quidem vestigato, eum sibi persuadeat exercitum sibi fore victorem, qui et numerosior sit, et rei militaris peritior, et aptiorem occupaverit

locum. Qui enim talis est exercitus, probabile certo est, ut de copiis dissimilibus, et imparibus tandem aliquando triumphet.

Explananda nunc mihi est authoritas, cujus duo esse genera divinę scilicet, et humanę non multis abhinc diebus intelexistis. Ac de Divina quidem primum, de humana postmodo disseramus. Cum itaque omnis auctoritas, aut narrantis, aut docentis humanus quivis auctor, vel est in narrationibus, vel in dogmatibus spectandus. Quod ad dogmata pertinet, tunc in iis utendum nobis est auctoritate, cum, aut tota rei probatio auctoritati debebitur, ut in Santissimis Religionis Christianę Misteriis. imperantium placitis, et similibus, aut cum prę mentis tenuitate, rationes, quibus

res innititur, capere nequeamus, nam in his, quibus pares simus intelligendis, aliorum auctoritate hominum, ratione posthabita, nec uti, nec niti debemus. Itaque ad regulas, quas supra docuimus, auctorum dogmata exigantur, ut qualia sint, verane, an falsa, probabilia, vel improbabilia, vel dubia deprehendatur.

Venio ad narrationem, quæ historia quoque dicitur, et in qua præcipue humana auctoritas valet. Historiæ tria summa sunt genera, Politicæ, naturalis, et literariæ. Quæ hominibus accidunt, ea historia politica continentur; quæ rerum naturam attingunt naturali: quæ litteras denique, litteraria. Historia deinde politica triplex est, Divina, Religiosa, Profana. Pri-

ma ea complectitur, quę Deus propter, et apud homines gessit. Altera, quam et Ecclesiasticam vulgo vocant, ea continet, quę propter Deum homines pręstitere. Quę vero res hominum nec Divinę, nec sacrę sunt, historia eę profana complectitur. Hęc autem si totius humani generis res edoceat generalis vocabitur; sin autem gesta nationis alicujus, aut gentis particularis: tum singularis, cum hominis cujuspiam acta, vel gesta contineat.

Naturalis autem historię partium numerus haud facile iniri potest. Ea namque quęcumque corporatis in rebus, aut observata Phęnomena (apparentias si placet appellemus) aut experimenta sunt capta complectitur. De cęlis enim decanti-

bus sine errore stellis, ac inerrantibus, de aere, de ventis, de tellure, de aquis, de ignibus, de hominibus, animalibus, plantis, possibilibus, de singulis tandem partibus naturæ corporeæ longus ibi sermo habetur.

Litteraria restat historia, in qua et doctorum sententiæ, scriptaque recensentur; tum disciplinarum initia, processus, accessionesque declarantur. Hic communis doctissimorum sensus hominum, qui præcipuus humanæ sapientiæ dux est, atque perspicuitatis cogitationum testis, inspicitur. Quo circa hac in historia navanda est opera, si quidem docti esse vellimus. Et hæc, ut posui, historiæ sunt genera. Historicorum auctoritas perpendatur.

Duo ergo historico in homine præ-

cipue sunt discutienda, ut, quantum fidei ejus historiæ debeatur, possit intelligi, scientia ejus nimirum, et probitas: ad scientiam duo respiciunt; primum, quo historicus ingenio, quo judicio, qua doctrina fuerit, qua eruditione. Deinde potuerit ne, quaque via, et ratione id scire, quod narrat. Qui enim ingeniosus sit, prudens, eruditus, is res, ut par est, perpendere, verisimiliaque diligere potest; nec deludi, nec decipi facile patietur: contra barbarus, incautus, inscius. Videndum præterea, num ei aditus esse potuerit, ejus, quod narrat, cognoscendi: quod scilicet cæsus fuerit, quod domesticus, quod rei, quam exponit interfuerit. Nam qui, quo tempore narrata res accidit, vixerit; eam is scire facile potuit: qui autem ubi

res evenerit, ibidem fuerit, facilius: qui demum interfuerit, nullo is negotio, facillime. Temporum enim, et locorum longinquitate fit, ut res per longam aliorum aliis, quæ renarrantium progressione nobis traduntur; in qua sanè demi, vel addi, vel immutari quidpiam, ne dicam plurimum, solet. Progressione autem illa, nec coevus indiget auctor, nec domesticus: quare iis maior est adhibenda fides, quam ut posteris, aut straneis. Sed cum fieri posit, ut domesticus, coevus ve historicus rei non interfuerit, sed ab aliis illam acceperit enarrantibus; illis, ut potè auditis tantum testibus oculati sunt præponendi. Pluris namque, ut ait Plautus, (1)
„est occulatus testis unus, quam auditi decem. De historici scientia hactenus. (1) Truc. 2. 6.

Sequitur probitas, qua sublata omnis historię probabilitas interiit. Probitas autem, aut improbitas auctoris ex ejus vita, scriptisque deprehendi potest. Nam, ut de vita sileam, quę argumentum est malorum historici, bonorumve morum prestantissimum; cum ejus libri, aut mendaciis scatebunt, aut odium, nimia partium studia, superstitionem, alia denique vitia redolebunt similia: improbitatis ille ipse absolvi nequibit.

Illud etiam, priusquam pręcepta hac de re ulteriora trado, tenendum vobis est, certissimumque habendum, unum, alterumve historicum certam fidem non facere, sed probabilitatem solummodo; cujus gradus scientia eorum, ac probitate

dimetiendi sunt. Quod unus, vel alter historicus et probi sint, et docti, et coevi, et oculati testes; nec res tamen ab eis narratæ eorum ipsorum superet captum; eam faciunt probabilitatem, quæ ad certitudinem proximè accedit.

Hæc itaque de historia docentur. Primum: quod auctor decipi, vel falli potuerit, satis non esse, ut is deceptus fuisse putetur. Alterum: quod omnes, pluresve oculati historici, reclamante nemine narrent; hoc certum esse habendum. Tertium: cum unus, vel alter pluribus aliis adversabitur, eorum esse scientiam, probitatemque discutiendam, ex iisque judicandum. Quartum: quod unus, vel alter oculatus, refragante nemine, narret historicus,

modane illi probitas, aut scientia defuerit; certo finitimum, ut proxime docuimus, autumandum. Quintum: quod coevi testentur historici, non ideo tantum aut rejiciendum, aut in dubium vocandum, quod coevi quoque alii scriptores siluerint: multis enim de causis, quod re vera contingeret, id tacere potuerunt. ~ Sextum contra: de his dubitandum, quae a non coevis, non occulatis, licet per multi quidem sint, enarrentur; coevis omnibus, et occulatis nihil cum potuerint ejusmodi conscribentibus. Septimum: cum occulatus testis nullus est, coevus nullus: posterorum auctoritatem, modo nihil obstet, probabilitate dignandam. Octavum: narrationem perspicuis rationibus adver-

santem, falsitatis esse damnandam. No-
verum: non ideo narrationem falsitate
laborare putandum, quod rei sit, mentis
nostræ captum superantis.

Sequitur, ut divina exponatur auc-
toritas, qua ut recte uti possimus, tria pers-
pecta habere debemus; Deum scilicet locu-
tum; quænam ejus sint verba; quem tandem
illa ipsa verba habeant intellectum. Potest
ergo Deus per mentem, per phantasiam, i-
maginandi scilicet vim, per sensus, aliisque a-
liique nobis ignotis viis, et rationibus homi-
nes alloqui. Prima autem via Deus homi-
nibus loquitur, cum suas illorum menti-
bus cogitationes communicat. Altera: dum
vel rei alicujus imaginem in vigilantium
hominum cerebro excitat, vel divina illis

dormientibus, somnia immittit. Tertia demum etsi multis quidem modis, sed per aures, oculosque potissimum, cum nempe aut nostris in auribus articulatos sonos quospiam edit; aut signa oculis quędam objicit, quibus suam nobis explicet voluntatem.

Qui autem tuto scire velit, num Deus sit locutus, quid, quoque sensu, ei consulenda est Ecclesia, cujus sit, ut ante disserebamus, Dei verba, et ab iis, quę divina non sūt internoscere; et sic, ut opportet, interpretari. Hoc cum mille aliis in locis, num in Isaię libro clarissimè reperietis scriptum. =„
„Hoc fędus meum cum eis, dicit Dominus,
„ spiritus meus, qui est in te, et verba mea,
„ quę posui in ore tuo, non recedent de ore

„ tuo, et de ore seminis tui amodo, et usque in
„ sempiternum. (1)

At quoniam tam veteris, quam novi fœderis scripta nomina Dei verba esse, Ecclesia Catholica generalibus Tridentinis comitiis definierit, (2) non nihil de illorum sensu docere collibitum nobis est, ne quando vestrum quispiam, loci hujus ignoratione, divina abutatur auctoritate, aut ad sacram, revelatamque Theologiam ab eo imparatus accedat. Sacræ igitur Scripturæ sensus ea sententia, seu veritas dicitur, quam ejus ipsius verba significant, hisque verbis Spiritus voluit Sanctus expressam. Quod cum Scripturæ hujus auctori, dictatorique Deo infinita rerum omnium sa-

(1) Cap. 59. ℣. 21. (2) sesion. 4.

pientia sit: non modo unice voci multarum, diversarumque rerum affigere potest significationes; verum etiam res ipsas vocabulis indicatas, ad significandas res alias quaslibet adhibere. Quo factum est, ut scriptorum ejusmodi varius sit, et multiplex intellectus. Sed primum alius literalis, spiritalis, vel misticus alius. Quæ verba seu propriè, seu impropriè, velut ajunt, metaforicè accepta sensum habeant proxime, eum dicite, habeteque litteralem. Ex quo perspicitur ejusmodi sensum esse duplicem, proprium videlicet, qui verbis propriè sumptis, proxime significatur; et improprium, seu metaforicum, quem impropriè sumpta verba proximè ostendunt.

Quidquid igitur verbis proxime exprimitur, seu proprie, sive improprie illa sumentur; litteralis eorum sensus habendus est. Quocirca non hæc tantum, similiaque testimonia propriis verbis contenta litteralem intellectum habent: creavit Deus cælum, et terram; diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo: sed hæc etiam: ego sum vitis vera, vos palmites: vicit leo de tribu Juda: ego autem sum vermis, et non homo: havitabit lupus cum agno: idque generis innumerabilia, quæ translatis verbis constant. Quemadmodum illa alia, quibus

homo, lupus, vafer, et calidus vulpes

dicitur; seu quibus Deus perinde inscribitur, quasi corporeus esset, quasi nobis assimilis, verbo, alius modi, ac in se ipse est, ratio

quę simul, et fides ostendunt. Quinimo Scripturę locus est nullus, aut vox quamlibet translata, cui sensus litteralis desit, aut proprius ille sit, aut improprius, vel translatus: aliquid enim proximè significare debet, ideo que ad litteram, vel, ut barbare non numquam loquimur, litteraliter. Sed â litterario sensu veniamus ad misticum.

Hic autem ille est, quem verba non proxime, sed per ea, quę proximè significant, habent. Sic quatenus vox Jerusalem militantem, triumphantem ve Ecclesiam, media terrena illa civitate Jerusalem, quam proximè indicat, representat; misticum, spiritalem ve intellectum habet, sic etiam ejus loci, quo Isaaci

sacrificium narratur, litteralis sensus ipsa est hujusce sacrificii historia; misticus autem Christi Domini sacrificium, quod non per se ipsa verba significant, sed per rem illam gestam, quę verbis exprimitur.

Jam, quod res proxime verbis expressę, et ea ulterius significare posunt, quę ad morum institutionem spectant, et quę ad militantem Ecclesiam, et quę ad triumfantem in cęlis, triplicem esse sequitur intellectum Scripturę, misticum scilicet, tropologicum, alegoricum, anagogicum, ut critici loquuntur. Tropologicus moralis vedicitur, quo res proxime verbis exhibitę quidpiam ad mores informandos pertinens representant. Sic leprę vocabulum, quod decimo tertio Levitici capite iteratum sępis-

simè reperitur, nedum scabiei genus illud significat, quod ab atra nascitur bili, cutemque deformibus crustis obducens, mordaci quadam pruriginе corpus infestat; sed peccatum per morbum ejus modi manifestat. Quare morbi illius significatio litteralis ejus vocis, et proximus sensus est; peccati verò tropologicus, ac remotus. Alegoricus preterea est, quo res primum verbis expresse quidpiam militantem Ecclesiam attingens, significat: ut voce tabernaculum, quę capite vigesimo Exodi habetur et tabernaculum ipsum, quod Dei jussu arquitectatus est Moyses. et per illud Eclesia militans indicatur. Tum anagogicus quo res proxime verbis expresse, quidpiam exhibent ad triumfantem Ecclesiam

attinens, Sanctorumve felicitatem, sine fine mansuram. Sic promissæ terræ nomine et terra ipsa Chanaam, et per eam cælum ostenditur. Quatuor autem, quos exposuimus Scripturæ sensus, hisce versibus continentur.

Littera gesta docet: quid credas, Allegoria:
Moralis, quid agas: quò tendas, Anagogia.

Possunt quidem omnes eidem Scripturæ loco subesse: nam vox manna; ut utar exemplo ad litteram sumpto, cibum illum cælitus missum indicat, quo Israelitæ vescebantur: morali autem sensu elemosinam erogandam: Eucharistiam allegorico: anagogico denique beatitudinem. Atque litteralis intellectus explicatione reliquos latinos Ecclesiæ Patres Hieronimus vincit, Augustinus allego-

rico, morali Gregorius scilicet Magnus, Ambrosius anagogico. Accomodatitium eum sensum vocant Theologi, quo ejusdem Scripturę verba Divinę ad id exprimendum accomodatur, quod nec proxima, nec remota significatione verba ipsa designāt: nec Spiritus ipse Sanctus intendit ostendere. Quapropter sensum ejusmodi potius Ecclesię, privative alicujus hominis Scripturam accomodantis; quam Scripturę ipsius ad res illas, quibus congruere videtur, accomodatę intellectum habere. Hujus exemplum illud esto, quod de Maria Lazari sorore dixerat Cristus, Maria optimam partem elegit, cętera: quod Dei genitrici accomodatur Sanctissimę. Eumdem S.tus Bernardus in suis sępe ser-

monibus adhibet; estque consionatoribus u-
sitatus. Hæc quidem de sacrorum sensu libro-
rum.

Neque vero abs re fore putamus, si
quas hic pro divinis ipsis scriptis intelligen-
dis regulas annotabimus. Nam licet Luthe-
rus, licet plerique memoriæ heretici ejus es-
se dicant sacra volumina claritatis, ut
omnibus plane doctis, et indoctis, ingeni-
osis, ac rudibus, sutoribus inquam ipsis, bu-
bulcis, cerdonibus, mulierculis pateant,
tamen per obscura illa, et difficilima esse,
quidquid insana gens frendeat, argumen-
ta, et multa certe, et gravia convincunt.
Quot enim Hysterologiis, ut græci dicunt,
et in speciem antilogiis utriusque scatet
pagina testamenti? Quot ibi alegoriæ? Quot

tropi? quot profeticis in libris per obscura futurorum enigmata? quot praeterea nodi quamquam constricti temporum scienti-am respicientes? quot hebraici, ut loquun-tur, idiotismi? quot tandem, ne omnia persequar, abruptae, ac inexpletae sententiae?

Quod si Sacra, ut somniant illi, Scrip-tura perfacilis, quorsum tot et Ecclesiae Patrum, et doctorum insuper hominum aliorum illam, ut explicent, commen-tarii? quorum diversae ipsorum iisdem de locis intelligendis sententiae, ac dissidi-a permagna? qui fieri deinde potest, ut cum in ejus ipsius explanationem jam inde a primis Ecclesiae temporibus incubuerint solertissime, novi semper quidpiam in-exhausto illo de fonte derivent? Ac ut ad

exempla non nulla descendam, sententiam Ecclesiastici illam capite quadragesimo secundo, melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens: Hanc Davidis, (1) homines, et jumenta salbabis Domine; illud etiam Pauli, (2) quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Quamquam quis loca Scripturæ numeret difficilia? Dicam multa brebi: Psalmos, maxime sexagessimum septimum, Cantica, postremam Ecclesiastes caput, Profetarum libros, Danielis visiones potissimum Apocalipsim, Pauli epistolam ad Romanos; novenum præcipue caput, quidnam assecutum se glorietur? Ac ne tam certa, perspicuaque in re testes neutiquam

(1) Psal. 35. (2) 1.ª ad Corinth. c. 5.

necessarios adhibeam, Ireneos taceam, et Origenes, sileam Hieronimos, Ambrosios, et Augustinos; Chrisostomos transeam, Nazianzenos, Ephrenos, Procopios, Magnos deinde Gregorios pretermittam. Tum Patres Ecclesię omnes pretereeam, obscura esse, ac profunda Scripta Sacra, signatum librum, questionum abissum, pręaltum mare, nec sine doctore intelligi posse, nec ad ea ipsa discenda omnes admittendos animis nostris inculcant.

Atque Scripturę quidem Divinę patet obscuritas. Qua in re illud nihilominus certum, non omnium parem Sacrorum esse librorum perplexitatem. Obscuri enim quodammodo historici morales, ut Ecclesiasticus, proverbiaque obscu-

riores; Profetici, ut Psalmi, ut Cantica, ut A-
pocalipsis, dificillimi.

Jam regulas, quibus, ut scripta hæc
intelligamus, juvari possimus, expono. Primo
Scripturę loca semper ad litteram accipien-
da, nisi inde aut Fidei, aut honestati, aut
ut ipsius Scripturę contextui adversum quid-
piam fiat; aliàs translatè. Et primum
quidem, si, cum nihil obsit, Scripturę ver-
ba transferri liceat, jaceat profectò histo-
ria, Fidei veritas, vitę pręcepta. Quid quid
enim, ut hęc struantur, quispiam afferat,
translatè alius intelligens deleat, et eludat.
Reliquum regulę patet. Itaque quibus in
locis corporea Deo membra, affectiones vè
tribuuntur, ut cum dormire dicitur, evigi-
lare, sedere, stare, incedere; aut commove-

ri, irasci, dolere; videre, audire, loqui, tractare; cum incorporeum illum esse, atque immutabilem doceat Fides; ea translate, vel ut græcè loquar, Methaforicos sumi debēt. Vt enim nostræ infirmitati consulat Deus, methaforas adhibet aliquando. Videt igitur Dominus, loquitur, audit, non per instrumenta corporea; sed modo quodam valde perfecto, eoque, quo vident homines, longè infinitè præstanti, sic etiam irasci, cum reum plectit aliquem, dicitur; misereri, cum parcit; cum desserit, dormire; cum, postq.m quempiam liquit, cum aut solatur, aut punit etiam, expergisci. Sic cætera demum ejusmodi, tranquila ejus, et immota natura, et voluntate, cum præstare sentiendum est.

Accedit eodem, cum Christus ibi ovis, agnusvè ob mansuetudinem, et innocentiam dicitur; ob potentiam leo; ob sublimitatem aquila; ob stabilitatem lapis, aut petra; ob vim, et robur, et fortitudinem cornu; ob praestantiam, et exellentiam mons; quę, ut patet, non nisi impropriè dicta sunt omnia. Pariter de variis Ecclesię appellationibus ob varias ipsius diversis cum rebus similitudines putatote. Nam ob Fidem Christo in Baptismate obligatam, sponsa vocatur; amica ob mutuam inter ipsam Christumque Dominum amicitiam; propter castitatem, cęlestis quae patrię desiderium, turtur; ob simplicitatem columba; ob societatis sub uno Rege Christo, Evangeliique lege vinculum, civitas; ob fi...lium in Fidei, Spei, et Charitatis spiritu co...

dem conjunctionem, corpus, est dicta. Ex quo fit, ut et illi membra corporis, ut caput, nempe Christus; capilli populi; oculi Pastores; atque Doctores, alia denique similiter tribuantur.

Idipsum, cum quidpiam inse, vel in proximum sevitię, vel inhumanitatis ibidem pręcipi videatur, advertite; translatè videlicet accipiendum. Vt illa sunt Evangelica; „si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et projice abs te: qui „non odit patrem suum, et matrem non est „me dignus.„ Vbi non in nos, sed in eam, quę nobis latet, cupiditatem asperos esse nos, pręcipit Dominus; nec ut odio parentes, sed ut hos, quos ab illis patiemur, obices abeamus. Ea quoque translata sunt verba, qui-

bus molle videtur quidpiam commendari, vel præcipi, ut in Canticorum canticis plurima, quæ sunt ad Dei caritatem penitus referenda.

Esto lex altera: Scriptorum verba Sacrorum cum Sanctorum Ecclesiæ Patres sententia, cum ipsius Sanctæ, et ve-
„rissimæ Matris judicio conferantur. „Hæc
„enim, ut Paulus inculcat, columna est, fir-
„mamentumque veritatis. (1) Nec ulli præter-
„rea contra, atque illa, ut Tridentina defini-
„ut commicia. (2) Dei verba licet interpretari. Illos vero, ut suos ipsa respiciens Patres, atque Doctores suis in decretis edendis consulit sæpènumero, vetatque ne contra unanimem illorum sententiam Scriptu-

(1). Ad. Tim. C. 4. (2) Sess. 4.

ras ullus audeat declarare. Quare si quod ullo in loco dubium incidet, consulendi sunt Patres, eorumque, vel omnium, vel præcipuorum saltem sententia tenenda: quod est in Ecclesiam, imo præcipuè quadrat; ideoque qui locus ab ipsa explicatus sit, in Conciliis vestigetur, declaratioque legitima habeatur.

Denique cum Idiotismi, tum Emphrases, quibus divini conspersi sunt libri, sedulo vestigata notentur. Proprium cujusque linguę caracterem vocant, ab idiota, quod privatum, ē vulgo ve hominem notat, idiotismum. Est enim, ut ait ille, penes populum jus, et norma loquendi. Jam cum græci, latinique interpretes Hebraicę linguę stylum sępe sequantur,

qui interdum a græcæ et latinæ legibus dis-
crepat: obscuritas inde non parva, et diffi-
cultas exoritur ignoranti.

Cassus namque pro cassu ibi sæpe,
alias pro neutro, quo hebraica caret lin-
gua, genere masculinum, aut fæmininum;
abstracta etiam pro concretis, pro compa-
rativis, quibus illa etiam vacat, positiva,
præ, super, aliave consimili adjectâ parti-
culâ pro superlativis, quæ ipsi desunt, posi-
tiva, valde, pluralive genitivo adjuncto;
pro presente, quod deest illi pariter, tem-
pore præteritum, vel etiam participium,
pro futuro, præteritum reperitur. Ad hæc
particula non adjectivo omnis præposita,
generaliter negat. Mitto alia horum q[ue]
et illorum exempla, ne longius caput, quod

oportet, evadat.

Venio ad Emphases hæc autem figura in eo est posita, ut lux, quam verbis exprimitur intelligendum audientibus, aut legentibus relinquatur. At sacris in libris nedum hoc, sed opositum etiam sæpè habetur: nam et verba ibi non nulla plus, minusvè sonantia, significant, et alia plus cum sonent, minus re vera significant. Primo modo sunt illa: hic est filius meus dilectus; induit enim amplius, scilicet unigenitus, ejusdem que cum Patre naturæ. Hæc secundo: mons Dei, cedrus Dei, cætera; hoc est excelsus mons, cedrus altissima. Verum de Divinis scriptis intelligẽdis hæc exposuisse, atque monuisse sufficiat.

Auctoritatem subsequitur librorum suppositio, mutilatio etiam, interpolatio, depravatio; ratio demum, et via, qua ea detegere, et dignoscere valeamus. Ac illud quidem mihi non cum omnibus solum, qui de critica scripsere, sed cum sapientissimo quoque ac eruditissimo constat, innumerabiles esse libros, qui omni tempestate, aut suppositi fuerint, aut diminuti, corrupti etiam, deprabati, vitiati. Hæc autem tum incuria, nescientiaque librariorum; tum criticorum vel ignorantia, vel avaritia, tum veteratorum malevolentia, et improbitate; tum edicitate (siquidem ita loqui licet) temporis contingere. Hereticos; ut alios omittam, fuisse compluxes, qui libros suos nominatissimi alicujus Ecclesiæ Doctoris, vel

ipsorum etiam Apostolorum nomine inscripto, spargi in vulgus, et disseminare curarent; veteres ipsius Ecclesiæ Doctores testes ejus rei sunt locupletissimi: quos, ne gravemini, tacitus prætereo. Atque cum priscis ars illa fuerit ignota, quam græcè dicimus Tipografiam; quippe cum circiter decimi quinti eræ Christianæ seculi medium ab Europeis, aut excogitata, aut cognita fuerit: quot mendatia Deus bone! in scriptis irrepere potuerunt. Sed in rebus apertissimis nihil opus est argumentis.

Quemadmodum à supositis, mutilatis, corruptis, vera, integra, inviolata discerni queant scripta; subsequentes criticorum leges ostendent. Prima autem docet: traditionem, hoc est, continuatum ab scriptoris tem-

pore per aliquot secula de librorum ejus veritate, atque integritate judicium veritatis ejus modi, et integritatis argumentum esse firmissimum. Secunda: quę superiore innititur vetat, ne aut quilibet in vetustis codicibus alii, quam in recentibus assignatur auctori, legitimus, genuinusque habeatur; aut cui in veteribus quidpiam desit, quod in recentioribus reperiatur in corruptus; aut demum integer, cui aliquid desit in nobis, quod in veteribus inveniatur scriptis: nisi tamen graves adsunt rationes, aliter judicandi. Sexta pręcipit: ut quo in libro ea desiderentur, quę ex ipso veteres protulere auctores, is aut alius, aut mutilus: si aliter reperiantur, suspectus; si et om-

nia, et uniusmodi genuinus, et integer, nisi quid obexit, habeatur. Quarta, ut qui liber neque in vetustis invenitur catha-logis (si loqui sic liceat) nec ab ullo subsequ-entium ętatum memoratur auctore; ali-quam modo nihil prohibeat, simulatio-nis, et fraudis suspicionem habere putetur.

Quinta impedit, ne quę scripta, a-ut suposita à veteribus, aut dubia vi-dentur, ea recentiorum auctoritate ha-beantur legitima; nisi erunt rationum, quibus recentes innitantur auctores, com-menta, longè gravissima. Sexta docet, sententiarum diversitatem certum non esse diversi scriptoris, nec supositi, vitiati-que loci indicium. Potest namque auctor mutare sententiam; nec ejus, quam antea

scripserit, recordari. Septima præcipit, ut quo in libro recentiores eo, cui asignantur scriptore, personæ, nomina, controversiæ, facta narrentur; is aut interpolatus, aut supositus censeatur. Octava, ut qui liber vel ineptiis, vel fabulis scatebit, viro nec inepto, nec inscio minime tribuatur; quamquam in vetustis codicibus nomen ejus reperiatur inscriptum. Postrema docet: stylum aut ab scriptoribus, aut ab ætatis, qua ipse floruit, stylo diversum; non infirmum supositi libri argumentum esse putandum. Habetis præcipuas de certis, incorruptis, et integris ab incertis, violatis, imminutis auctorum scriptis secernendis præcepta.

Reliquum est, ut artem aliorum

verba, sententiasque rite interpretari docentem, Hermeneuticam, scilicet graecedictam exponamus. Quatuordecim constat praeceptionibus, quarum quinque superiores, quid librum interpretaturus scire debeat quispiam, reliquae, quid, dum ipsum interpretabitur, animadvertere, patefaciunt. Jam, qui ad libri alicujus interpretationem aggreditur, linguam optime sciat, qua sit ab ejus auctore conscriptus. Sunt enim exactae versiones difficiles; cum linguae sibi non perfecte, non plane respondeant. Codices deinde, quam emendatissimos habeat, scriptoris insuper aetatem, patriam, mores, professionem, religionem exploret: horum siquidem notitia scriptoris cognitionem facilius asse-

quatur. Præterea gentis ejus historia instructus sit, necesse est: nam vix ullus reperiatur scriptor, qui nationis suæ, aut gentis mores, vel opiniones non suis sibi scriptis apperuerit. Finem insuper auctoris spectet. Orator enim verisimilibus contentus est: Poeta fabulosis, et commentitiis: veris Philosophus; quorum videlicet finis est varius. Philosofus enim semper docet: orator vero, et Poeta persæpe delectant: quare varia est interpretatio pro finis varietate adhibenda. Atque hæc eum tenere per opus est, qui auctoris volet cujuspiam interpretationem suscipere.

Quod autem ad ipsam attinet interpretationem, verba primum naturali significatione, hoc est, litterali sen-

su accipito. Hic autem ille est, quem po-
pulus penes quem omne loquendi jus re-
sidet, primum vocibus applicabit. Cum
autem aut scriptoris instituto naturalis
verborum significatio adversabitur,
aut absurdum, auctorisque indignum
referet intellectum utique desseratur.
Deinceps subobscuri auctoris loci ex aper-
tioribus exponantur; subjecta etiam,
et attributa propositionum sedulo vesti-
get interpretator, ac odoretur. Nam cum
perpaucę quavis in lingua voces unam
tantum ideam referant; omnes discuti
debent, ne cui, quod non convenit, tribu-
atur; atque ē notione subjecti attributi
notio, et vicissim intelligi. Sic qui, hac
preceptione neglecta, illud ex. c. Tullii; Ti-

„in dicendo semper putavi Deum,„(1) aut illud Terentii(2) „Deus sum, si hoc ita est;„ ita interpretaretur, ut Deum ipsum intelligeret, erraret scilicet vehementer. Illud enim nomen non ipsi modo Deo à latinis tribuitur, sed et omni, qui in re aliqua excellit, ut in illo Tullii testimonio patet; et ei qui felix sit, et fortunatus, quod in illo Terentii effato accidit. Quod quidem ex attributi, subjectiq.e discutione, ac collatione cognoscitur.

Praeterea rite illi legendum est, qui rite vellit exponere. Quapropter illi primum legendi sunt libri, qui ceteris lucem afferant. Lectio autem nec interrupta sit, nec diutina, nec

(1) Lib. 1. de orator. C. 21. (2) Heyc. 5. c. 42.

oscitanter fiat, nec sine commentariorum si qua in eum, qui exponitur, auctorem viri aliqui eruditi conscripserint admi-niculis. Obscuris in locis eorum interpretatio, qui auctoris fuere discipuli, amici, coevi, reliquorum expositioni, ceteris paribus, anteponatur. Horum etiam qui qua lingua auctor scripserit, eam intelexerint expositio, eorum qui interpretatione fuerint ussi expositioni. Illi pariter, qui rei, de qua auctor scripsit, interpretes gnari sunt, ignaris pluris haben-tur, ceteris videlicet paribus. Notiones, quas verbis auctor suis significare potu-it omnes considerentur. Quaeque aut ip-sius auctoris stilus, aut rei, de qua agit, aut antecedenti, consequentique doctri

ne magis est consona, videatur. Denique si quam eam esse ipsam gravissimis constiterit argumentis, quam scire voluit scriptor; cæteræ rejiciantur: si probabiles tantum rationes erunt, probabilis duntaxat erit interpretatio; sin utrinque æque probabilia argumenta sint, nulla; ideoque locus ejusmodi sine interpretatione linquatur. Ac me quidem in his, quæ ad judicium spectabant, permultum fuisse comperio. Id atamen eo perfeci, ut neque Academia Doctoris a me munus; neque vos Magistri desiderare possetis. Non itaque mea me loquacitas, ac benevolentiam prolixiorem, quam et volueram, et eram pollicitus fecit. Sed cum mihi nihil longius videatur, quam dum logicæ finem aspiciam, tertiam ejus partem exponere, mora nulla interposita ingredior.

ARTIS LOGICES

LIBER 3.us
DE RATIOCINATIONE.

Neque verò illam longam desiderant orationem, quæ de tertiò humanæ mentis cogitationum genere tradi debent. Multa quidem hac de re et dicta sunt, et scripta, quæ tamen brebi opinor, confeci potuisse. Hoc ergo in loco satis erit, diligenter considerare, quid ratiocinatio sit, et quota, quibus etiam regulis dirigatur; quid deinde syllogismus, quid ejus figura, quid modus, quæ leges: quot terna syllogismi genera statuantur: quæ denique sint argumentorum sedes. Quare his omnibus, quæ exposuimus, illustrandis, quatuor omnino capita sufficere judicamus. Nunc instituta partitione rationis ordine habita utendum est.

CAPUT 1.^m

DE RATIOCINATIONIS NATURA, GENERIBUS, ET REGULIS.

Tenetis autem, credo, memoria, hominis mentem sic in rerum cognitione procedere, ut primum species ipsarum aliquas, aut formas effingat, quod percipere dicimus. Formas deinde, aut species ejusmodi comparare, ut earum posit convenientiam, aut discrepantiam intelligere: quod ipsum est judicare. Jam illud semel, atque iterum, ac sæpius accidit, ut duarum relatio idearum non aliter percipi queat, quam tertia alia idea adhibita, cui reliquæ separatim conferantur.

205

Ac actionem mentis autem illam, qua duæ quæpiam ideæ cum tertia alia seorsum conferuntur, ut ex earum cum tertia ipsa idea convenientia vel repugnantia consensio earumdem, inter semetipsas, vel discrepantia dignoscatur; ratiocinationem, computationem, deductionem, vocamus. Scire v. c. quis aveat, num mens hominis vivat, num ideæ humanæ mentis attribui recte possit idea vitæ. Bene profecto habet. Cam in primis ideam cogitato, cui superiores divisiom comparari posint, rei scilicet idea cogitantis. Comparationem deinde instituito. Quo quidem peracto, statim hominis mentem vivere deprehendet. Quidquid enim cogitat, vivit, mens autem

hominis cogitat. Mens igitur hominis vivit. Ex quo fit, ut nihil aliud ratiocinatio sit, nisi mentis actio ex duobus judiciis communem aliquam ideam habentibus tertium eliciens: seu relationis inter duo, plura ve judicia repertę, perceptio. Sequitur illud etiam, tribus tantum ideis, totidem que judiciis ratiocinationem esse contentam.

Atque in ratiocinatione duobus se modis mentem gerere animadvertimus. Ideam enim aliquam ad genus quodpiam, speciem ve refert; idque omne, quod de genere, vel specie afirmarat, vel negarat de ipsa quoque idea ad genus, vel speciem relata, ait, vel negat. Sic mentem v.c. ad genus, quo continetur, scilicet affectuum, referimus: tum quod affectui

tribuimus, animum ex. c. concitare, id ipsum aplicamus, et metui. Ratiocinamur enim hunc in modum. Afectus omnis animum concitat. Omnis autem metus afectus est. Omnis ergo metus animum concitat.

Aliter etiam suas mens ratiocinationes ordinat. Si enim eas in re aliqua, vel idea notas intelligat, quibus quępiam componitur definitio; rei illi ipsi tribuit definitum; quod ab ea removet, nisi notas ejusmodi deprehendat. Ita cum Petrum v.c. eum esse cognoverim, qui suam cuique tribuit: has autem notas esse hominis justitiam collentis; Petrum conficio ejus virtutem esse participem. Sic autem ratiocinationem instituam. Qui suum cuique tribuit, justus est. Petrus autem suum cuique tribuit.

Petrus igitur justus est. Sin Petrum viderem suum cuique negare; sic evaderet ratiocinatio. Qui suum cuique negat, justus non est. Petrus autem suum cuique negat. Petrus igitur non est justus.

Quapropter duo esse præcipua ratiocinationis genera intellexeritis, ajentis scilicet, et negantis. Est namque ajens, cum tertium ait judicium; negans verò cum negat. His autem nititur regulis ajens ratiocinatio; quidquid generi speciève omni attribui potest, cuivis etiam id ipso in genere, vel specie contento, valet attribui: deinde cui definitio conveniat, ipsi congruit definitum. Negans autem ratiocinatio hisce. Quidquid quovis de genere speciè tota negatur, id ipsum de quolibet

illo in genere, vel specie contento, negetur necesse est: prætereà cui definitio non convenit, ei nec convenit definitum.

Exoritur hoc tandem loco ratiocinationis divisio in demonstrativam, probabilem, et sophisticam. Demonstrativa dicitur ratiocinatio, cujus et principia legitima sunt, et bonus ordo, et necessaria deductio. Duplex enim est demonstratio: altera, quæ à priori vocatur, altera à posteriori. Illa est, qua quidpiam per ejus causam, vel essentiam ostenditur; hæc contra qua per efecta, proprietates, vel signa concluditur aliquidpiam. Sic qui Petrum ex. c. hominem esse ex eo conficeret, quod animal esset rationis particeps; à priori, ut loquuntur, ratiocinaretur. E-

sentia namque hominis in eo sita est, quod sit animal ratione donatum. Qui vero ex mutorum animalium actibus ea cognoscere, patefaceret: illud ostendere diceretur à posteriori.

Age nunc, quę de utraque pręcipiuntur, consideremus. Quatuor autem ea sunt, quę in efectis per causas demonstrandis expectari debent. Primum: eędem causę eadem: similes similia efecta progignũt. Secundum: quę nesessarię sunt causę totis semper suis viribus ipsę operantur: secus autem, quę liberę. Tertium: effectus sibi similes, ac semper eosdem nesessarię causę, non liberę, procreant. Quartum: nisi proprietates eędem sint, esentia eadem esse non potest. At in causis per

efecta ostendendis hęc tria observantur. Primum: sine ratione sufficiente (sine causa videlicet, quod et dilucidius est, nec dubię latinitatis) nihil eficitur: seu ā nihilo fit nihil, quod eodem spectat. Secundum: nemo, aut quod non habet, dat, aut plus quam habet. Tertium: cum essentia sit eadem, eędem proprietates sint necesse est, cum vero diversa diversę.

Utraque deinde exposita demonstratio directa dicitur: quare autem, quod pateat, prętermitto. Illa vero indirecta, qua quidpiam aliter se habere non posse judicamus, ostendimus; et si cur ita se habeat, minime intelligimus. Quare, qui ex eo tantum primum esse motorem eficeret, quod alias infinitum moventium,

motarum que rerum progressus; quod esse nequit, existeret; indirecta uteretur demonstratione. Ex quo fit, ut indirecta demonstratio, assentiri quidem cogat; non tamen doceat, vel illustret. Contra directe, et cogant, et instruant, et illuminent.

Eam hinc demonstrationem adjicere perutile duxi, quę in orbem id circo à Theologis dicitur, quòd circuitum, quasi quemdam, et orbem conficiat: est namque duplex regressus nimirum, et circulus. Cum ab efectu nobis noto ad latentem ejus causam detegendam progressi; ex eaque detecta ad efectum per ipsam demonstrandam regredimur, per regressum, dicimur demonstrare, ut si quis ex eo, quod non tota simul à Sole,

sed gradibus Luna illustretur, huic globosam esse figuram intelligens: quod est quidem ejusmodi causa colliustrationis: hac ipsa inventa ex causa necessario Luna gradibus, nec collustrari posse aliter, demonstraret. Huic autem reditus, ut neque eodem fiat demonstrationis genere, neque eamdem pariat scientiam reprehendi non potest. Prima enim demonstratio à posteriori est; altera à priori; confusam illa, hæc distinctam, absolutamque scientiam conficit. Et scientia quidem regressione parta omnium nobilissima visa est Aristoteli (1) At circulo vitium est; ab eodem enim ad idem eadem demonstrationis forma progr

(1) Lib. 1. post. T. 178.

ditur: ut si dicam: Petrus homo est; quia rationis particeps animal, et animal rationis particeps, quia homo. Idem enim per idem conficiens nihil promovet, propterea circulus pestilis versatio a logicis dici solet; ut enim qui pinxit, pincilum attolere, ac deprimere debet, quod illud circumagens, grana non contexet; sic qui disputans non recta feretur; sed verborum ludet ambiguibus, eficiet nihil.

Tum probabilis erit ratiocinatio, cujus aut deductio necessaria non sit, aut non certa principia; sed veri tamen similia. Sofistica, quæ cum nihil peccare videatur, vel saltem aliqua, vel etiam plurima peccet. Cujus loci est perspicuitas, ut posit exemplis supersederi.

CAPUT 2.m

DE SILOGYSMO, EJUSQUE FIGURIS, MODIS, ET LEGIBUS.

Quocirca venio ad Sylogismum, qui ut ideæ terminus, judicii propositio, sic ipse ratiocinationis est signum. Potest itaque definiri: oratio ratiocinationis interpres. Optime etiam ab Aristotele in „topicis definitur: oratio in qua quibus„dam positis aliud quodam ab iis, quæ po„sita sunt necessario eficitur, propterea „ipsa, quæ posita sunt.„ Optima inquam definitio, sed paulo longior justo. Illa, puto, Facciolati commodior argumentatio, per quam, posito toto, aliquid eficitur nesessa-

ris de parte, quę in eo continetur. Jam quoniam ratiocinationis, ut posui, interpres Sylogismus est: totesse debent propositiones, ac termini, quot judicia, et ideę ratiocinationi.

Trium autem Silogismi terminorum, qui tertię propositionis prędicatum est, major dicitur; quod prędicatum subjecto fere latius pateat. Qui autem ejusdem est propositionis subjectum, opposita quidem ratione, minor terminus appellatur. Quin etiam cujus enuntiationis prędicatum, cum subjectum, quasi materiam forma definiat, subjecto ipso nobilius, et majus habendum est, et dicendum. Vterque etiam terminus vocatur extremum, ob id quod ejus sint propositionis, qua de du-

bitatur, extremitates. Medius autem ille est terminus, qui utriusque extremi efficit conexionem. At cum terminis propositio constet, propositionibus Sylogismus; illi remota, hæc proxima Sylogismi materia dicuntur.

Tres præterea Sylogismo sunt propositiones, quarum prima dicitur simpliciter propositio; altera assumptio; tertia complexio: seu maior, minor, conclusio, ut logicis fere omnibus, sic loquentibus, mos geratur. Majorem vocant, qua major terminus medio connectitur; qua vero minor terminus eodem medio jungitur, minorem: tum conclusionem, qua minor terminus majori conjunctus exprimitur. Duæ etiam

superiores premissę dicuntur, ob id quia conclusioni premittuntur. Ex. c. syllogismus ponatur, qui rem dilucidet universam. Bonum omne diligendum est. Virtus autem omnis est bona. Virtus igitur omnis diligenda est. Quod enim prima propositio conclusionis predicatum, scilicet diligendum, mediumque, videlicet bonum contineat; major est. Quod autem secunda conclusionis subjectum, nempe virtus, mediumque ipsum complectatur, minor; tertia demum conclusio, quod majorem, minoremque terminum comprehendat.

Quoad figuram attinet Syllogismi ea est extremorum medio cum termino compositio: quę cum quatuor omnino modis esse possit, totidem figuras Syllogismus

admittit. Est autem prima in qua medius terminus propositionis subjectum est, prædicatum vero assumptionis. Ex. g. Quidquid cogitat, spiritus est: mens autem hominis cogitat: ea ergo spiritus est. Cogitat enim quod medius est terminus majoris subjectum, attributum minoris esse conspicitur. Secunda in qua medius idem terminus utriusque, ut dicitur, præmissæ attributum existit, hunc in modum. Mens omnis cogitat. Arbor autem nulla cogitat: arbor igitur nulla mens est. Contra ea est tertia, in qua communis ille terminus est utriusque præmissæ subjectum. Ut, animal omne cognoscit, animal autem omne vivit; aliquid ergo quod vivit cognoscit. Quarta demum primæ

primæ adversatur, est namque in qua medium propositionis prædicatum est, assumptionis vero subjectum: quod hoc licet sylogismo videre: mens omnis simplex est substantia: simplex autem substantia omnis partium est expers: aliquid ergo partium expers mens est.

Et quoniam de figuris diximus leges nunc, sive regulas exponamus. Harum autem quædam ad omnes, aliæ ad uniuscujusque tantum figuræ sylogismos attingunt. Illæ propterea generales, hæc particulares dicuntur. Generalium prima hæc est, ut sint tres omnino termini sylogismo. Est namque hic, ut dicebamus, ratiocinationis, quæ tribus tantum notionibus constat, interpres.

Quapropter omnis arcenda est ambiguitas, equivocatio removenda, termini intellectus idem ubique amplitudo, coarctatioque retinenda. Nisi enim id fiat, quamvis termini tres omnino esse spectatis vocibus videantur; plures tamen re vera erunt, ideoque sylogismus ipse inanis, irritus, nullus. Hic propterea sylogismus: spiritus omnis est inteligentiæ particeps: vini autem spiritus re vera spiritus est: vini ergo spiritus inteligentiam participat. Exlex est, atque adeo ad concludendum inutilis. Vox enim spiritus etsi una tantum est, duos tamen, aut plures intellectus habet, eosque plane diversos, ut ante docuimus.

Altera cavet, ne in conclusione

medius terminus reperiatur. Conclusio siquidem extrema in præmissis cum medio connexa, continet inter ipsa conjuncta. Tertia docet ē particularibus nihil fit. Nam cui sylogismo et major, et minor particularis est, is quatuor reipsa terminos habet, quamquam tres omnino esse videantur, ut est perspicuum. Quarta ē negantibus sequi nihil. In his namque propositionibus extrema minime cum medio junguntur: ob idque conjuncta inter se sint, an separata, inde sciri non potest. Hoc est, nihil potest, quod desit convenientiam extremorum cum medio afirmando concludi: nihil negando, propterea quia ex eo, quod duo quævis cum tertio ali-

quopiam non conveniant, nec inter se consentire non fit. Sic pedales duę virgulę, ut utar exemplo, semipedali tertię inęquales, sunt inter se, ut perspicitis, compares.

Quinta prohibet ne ve plus, neve minus in conclusione, quam in pręmissis sit contineatur. Si quid enim conclusionis subjecto, attributo ve additur, vel eripitur: alius eorum erit sensus, alii propterea termini, plures tribus, nullus itaque sylogismus. Illud ad extremum pręcipitur, ut debilior conclusio pręmissa innitetur. Debilior autem est pre ajente negans, pre generali particularis. Si namque cum pręmisarum altera aut particularis

exit, aut negans conclusio generalis exit, vel ajens; plus in conclusione ipsa reperiatur, quam in præmissis nesesse est: quod superiore lege cavetur. Cas autem regulas, quibus singulæ figuræ continentur, accipite. Ac de prima quidem figura illud primum jubetur, ut major universalis sit. Si enim esset particularis conclusio etiam, quæ debiliorem sequitur partem, particularis evaderet. Si autem conclusio sit ejusmodi; minor, quæ idem habet subjectum, particularis exit abs dubio. At nihil, ut antea diximus, ē particularibus cogi potest. Deinde, ut minor afirmet. Nam si neget, major afirmet, nesesse est, neget verò conclusio ē quibus fieret, ut plus in conclusio-

ne, quam in præmissis existeret. Attributum, enim, quod in conclusione, secundum totam suimet amplitudinem sumeretur, pressius esset in majore sumendum. Secundæ vero figuræ duæ quoque sunt leges. Prima, ut major universalis sit: cujus rei rationem supra reddidimus. Altera, ut neget conclusio. Secundæ namque figuræ syllogismi una esse debet præmissa negans, quam debet præmissa negans, quam debet imitari conclusio. Tertiæ item figuræ duæ sunt regulæ, ut minor affirmet, ob id quod de prima figura docuimus, ut que conclusio sit particularis, quod præmissarum altera sit ejusmodi. De quarta tandem figura, cum ea quidquid Vermecus obmurmuret, sit inutilis, præcipimus nihil.

Sequitur sylogismi modus, qui ē quantitate propositionum, et qualitate pendet. Est enim nihil aliud, quam præmissarum, secundum quantitatem, et qualitatem ad concludendum apposita compositio. Cum autem propositiones universales sint, aut particulares, ajentes, vel inficiantes, in quatuor scilicet generibus constitutę: sexaginta quatuor variis modis, ut qui convinatorię artis est gnarus, intelligit: componi inter se, connectique possunt. At novendecim ex omnibus illis conjunctionibus sunt legitimę: cęterę in principia sylogismorum, et regulas peccant. Ego autem cum quinque quartę figurę modos, qui hisce versibus efferuntur, Baralipton, Camestres, Dimatis, Felapto, Fresisomorum

inutiles habeam: quatuordecim duntaxat explanare constituo, hisque versibus comprehendere.

Barbara, celarent, Darii, ferioque priorem;
Cesare, camestres, festino, baroco secundae;
Respiciunt aliam tandem Bocardo, darapti;
Ferison, disamis, datisi, felapto figuram.

Ex hisce autem barbaris vocabulis quatuor superiora primae figurae modos indicant, quae sequuntur quatuor secundae, tertiae sex reliqua. Trium deinde sillabarum eorum quodvis componentium, prima majorem, minorem altera, tertia conclusionem significat. Tum vocales in ipsis repertae litterae quantitatem propositionum, et qualitatem. Atque, ut aditum vobis ad perfectam horum cog-

nitionem patefaciam, et muniam: singulorum exempla modorum subjicio. Quę primam attingunt figuram sic se habent.

Bar. Omnis spiritus vivit.
Ba. Omnis autem mens humana spiritus est.
Ra. Omnis igitur mens humana vivit.
Ce. Nullus spiritus figuram habet.
La. Omnis autem mens humana est spiritus.
Rent. Nulla igitur mens humana figuram habet.
Da. Omne animal sentit.
Ri. Quędam autem substantia est animal.
j. Quędam ergo substantia sentit.
Fe. Nullus spiritus est morti subjectus.
Ri. Quędam autem anima est spiritus.
O. Quędam igitur anima non est morti subjecta.

Quę vero secundam sic:

Ce. Nihil corporeum spiritus est.

Sa. At omnis Angelus spiritus est.

Re. Nullus ergo Angelus est corporeus.

Ca. Omnis bellua cognoscit.

Mes. Nulla arbor cognoscit.

Tres. Nulla igitur arbor est bellua.

Fes. Peccatum nullum laudis est dignum.

Ti. Quidam autem amor laudis est dignus.

No. Quidam ergo amor non est peccatum.

Ba. Virtus omnis salubris est homini.

Ro. Quidam autem amor homini non est salubris.

Co. Quidam ergo amor virtus non est.

Tum quę tertiam in hunc modum:

Bo. Amor quidam lege nulla vetatur.

Car. Omnis autem amor affectus est.

Do. Quidam ergo affectus lege nulla vetatur.

Da. Error omnis vitandus est.

Rap. Error autem omnis est cognitio.

Fi. Quædam ergo cognitio vitanda est.

Fe. Nullum vitium hominem ducit ad fælicitatem.

Ri. Vitium autem aliquod voluptatem affert.

Son. Aliquid ergo voluptatem afferens, hominem ad fælicitatem non ducit.

Di. Odium quoddam D. O. M. est invisum.

Sa. Odium autem omne voluntatis est actus.

Mis. Quidam ergo voluntatis actus D. O. M. invisus est.

Da. Omnis homo rationis est particeps.

Fi. Aliquis autem homo omnia juris repagula, officii, pudoris perfringit.

Si. Aliquod ergo omnia juris, oficii, pudoris repagula infringens, rationis est particeps.

Fe. Nulla est nequitia laudabilis.

Lap. Omnis autem nequitia à re fit ratio

ne participe.

Jo. Aliquid ergo quod à re sit rationis participe non est laudabile.

Jam figura nulla est, quę possit prima cum figura contendere. In ea siquidem omnium conclusionum genera ajentium scilicet, et negantium, generalium particularium locum habere videtis. At in secunda negantes tantum; in tertia non nisi particulares reperiri posse videtis. Quid, quod nulla harum tam est, ut illa ipsa prima naturalis, atque perspicua? Qua de causa logici non nulli prima tantum figura contenti sunt, nec, ut patet, injuria.

Quod si regulas hactenus de syllogismo traditas operosas putatis, atque molestas; illud solummodo pro illis omni-

bus ad extremum præcipio: ut duas inveni-
re propositiones nitamini, quarum altera
conclusionem contineat; altera continen-
tiam, ut ita dicam, ejusmodi manifestet;
tota hic ars vertitur sylogistica. Ex. c. hæc
sit quæstio proposita, num belluarum ani-
ma incorporea sit, necne. Primum ea inve-
nienda est propositio, qua quæstio illa ip-
sa contineatur; cujusmodi hæc est; res om-
nis cognoscendi vim habens incorporea
est. Tum alia, quæ superiorem in gene-
rali hacce contineri declaret, scilicet hæc:
belluarum autem anima cognoscendi
vim habet. Quibus quidem positis sui
quasi sponte conclusio statim exoritur.
belluarum igitur anima res est incor-
porea. Ad hanc præterea normam;

us relictis omnibus, quę de sylogismorum reductione docent aliqui, rationem, velim, omnem, mei juvenes, exigatis. Illa enim nec utilia Scola ipsa judice, sunt; et maxime implicata, et obscura. Atque cum quatuor sint à me posita, de duobus autem dictum, cum de duobus reliquis dixero, tum erit denique nihil de tertio humanarum cogitationum genere requirendum. Sed quid ago? Promissum videor Laconismon deserere: altera jam pagella progreditur.

CAPUT. 3m.
DE SYLOGISMORUM VARIETATE.

At videte, obsecro, quam sim tertio isto in genere brebis, et parcus; et sylogismus quidem aut ajente conclusione constat, estque ajens; aut negante, estque, ac dicitur negans. Simplex insuper cum erunt ejus premisse simplices; cum erit utraque composita, vel alterutra evadet ipse compositus. Sunt pretera sylogismi, qui cum in modum disponuntur, ut à sylogismi forma recedere videantur; inductio videlicet, exemplum, entimema, dilemma. Sorites, epicheremma. Inductio est cum de superiore illud generice cogitur, quod de

singulis afirmatum est inferioribus, seu negatum. Inferiora habentur individua cum specie collata; cum genere species; cum toto partes: hæc vero, species, genera superiora. Nitatur autem hac regula inductio, quod singulis convenit individuis, id ipsum eorum congruit speciei, quod cuivis speciei suo generi, quod singulis partibus suo etiam toto. Ecce vobis inductionis exemplum: aurum igne liquescit, argentum, stagnum, plumbum, æs, ferrum, cætera igne metalla liquuntur. Omnium est igitur metallorum igne liquescere. Hoc argumenti genus est maximè proprium. Res namque sensibus subjectæ ferè omnes per observationes, et pericula ex inductione patescunt: sic aurum v.c. corporum gravissimum esse

ex inductione periclitationibus nisa cog-
novimus.

Exemplum argumentum est, quo e singulari re aliqua seu cogitata, sive dicta, vel gesta rem singularem aliam pre simili-
litudine cogimus: hunc in modum: quia
David suorum penituerat peccatorum,
salutem is adeptus est sempiternam: hanc
igitur, et Petrus, si suorum se quoque peni-
teat criminum obtinebit. Entimema sylo-
gismus est, propositione, vel asumptione
perspicuitatis ergo multatus. Ut Petrus ho-
mo est: suum igitur tandem aliquando di-
em obibit. Subauditur scilicet (si vox ta-
men illa probanda sit) propositio, homo
omnis diem obibit aliquando suum.

Dilemma sylogismus est, disjunc-

tiva propositione fuicitus, quo id ipsum de toto colligitur, quod de singulis distincte partibus erat efectum. Sic impios, ac scelaratissimos argumentari possemus eficere que nullam eis post mortem spem salutis relinqui. Aut omnino dum mori-untur, intereunt impii; aut eorum ani-mi supervivunt. Si funditus pereunt; nulla eis, ut perspicitur, spes salutis relinquitur. Sin autem, eorum animi sint superstites impietatis suę pęnas daturi sunt sem-piternas. Nulla igitur impiis, postqu-am obierint, spes salutis est reliqua. Dd si erunt disjunctivę propositionis tria membra argumentum terlemma voca-bitur: si quatuor tetralemma, et ita dein-ceps gręcè videlicet.

Sorites propositionum sic dispositarum, acervus est, ut antecedentis prędicatum subjectum sit consequentis. Subjectum autem primę cum postremę prędicato nectatur. ex. c. Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria ęmulos comparavit. Industria igitur ipsa Africano ęmulos comparavit; vel sic: Petrus Paulo imperat, Paulus Antonio, Antonius Carolo, Carolus Augustino; Petrus igitur imperat Augustino. Sorites tot in se complectitur sylogismos, quot in ipso sunt media: quapropter latinè acervalis dici quidem posset, nisi gręca vox illa satis latino esset trita sermone. Ita cum tria sint hujus proximi sorites membra, aut media, scilicet Paulus, Antonius, Carolus; tres illi sylogismi com-

plicati habentur: quos vobis evolutos subjicere non abs re puto. Primus ergo hic. Paulus Antonio imperat. Petrus autem imperat Paulo. Petrus igitur Antonio imperat. Alter hic alius. Antonius imperat Carolo; Petrus autem Antonio imperat. Petrus ergo imperat Carolo. Tum tertius. ipse Carolus imperat Augustino. Petrus autem imperat Carolo; Petrus ergo imperat Augustino. Postremò illud, quod ad Sorites attinet, notatote. Cum multa ipsi accumulent enunciata, facile in eosdem vitia, et captiones irrepere. Itaque ut rectè argumentatio ejusmodi progrediatur, atque firma ratione concludat, hoc servet, quod Aristoteles præcipit (1) opus est. „Cum alterum, inquit, alteri tri-

„buitur, ut subjecto; quot ea sunt, quę de
„attributo dicuntur, totidem quoque de
„subjecto dicentur.„

Restat epicherema: quod silogismus est cujus propositioni, vel assumptioni, aprobatio adjicitur, vel utrique, exemplo sit: corpus omne discerpi, ac diximi potest; est namque magnitudinis particeps. Sinapis autem semen corpus est; sinapis ergo semen discerpi, ac diximi potest. Propositioni enim corpus omne discerpi, ac diximi potest, probationem scilicet, quod esset magnitudinis particeps, apposuimus. Sunt etiam, qui Prosylogismum adjiciunt, ē duobus sylogismis ita constantem; ut primi complexio, propositio alte-

(1) Cap. 3. Categ.ⁿ

rius evadat, hocmodo, mens omnis soliditatis est expers. Hominis autem anima est mens. Hominis ergo anima soliditatis est expers. Quod autem soliditatis est expers id incorporibus recenseri nequit. Hominis ergo anima nequit inter corpora recenseri. Cum autem quarta sylogismi enunciatio tertiæ superioris sylogismi subnectatur, vel subjungatur, subsumptum, et minor subsumpta vulgo dicitur. A græcis propositiones ejusmodi lemmata nominantur: nos autem sumptiones cum eximio latinitatis Magistro, Tullium intelligo, eas dicemus.

Non me latet plurimos esse Dialecticos, qui ratiocinationis signum argumentationem vocantes, hujus varia esse genera ponunt. Sylogismum, inductionem, cæteraq

quę mihi quidem sylogismi sunt varie com-
formati: illa enim generali addita enuncia-
tione ad sylogismi vulgarem, communemque
redeunt formam. Exemplum in inductione
supra recensita ponamus. Quod aurum sit,
quod argentum, quod stagnum, quod plum-
bum, quod cuprum, id certe omne liquefa-
cit ignis. Metallum autem est aurum, ar-
gentum cętera. Metallum igitur igne ad-
moto liquescit, ac fluit. Verum dissensio
verbo quidem tenus est, ut patet, non re ta-
men. Quare utrumvis salva, ut arbitror,
veritate dicetur.

Sylogismus pręterea, qui certis, ac
dilucidis constat propositionibus demons-
trativus, seu demonstratio vocatur: qui
probabilibus topicus, aut probabilis; qui ve-

ris specie, re falsis, sophisticus, captiosus, et falax. Potest namque in ejus materia, vel forma sylogismus peccare. Primum usuvenit, cum falsa illi aliqua propositio est; alterum, cum etsi vere sunt omnes, recto tamen ordine deficiuntur. Qui sylogismus a debita forma recedit, quin recedere videatur, is proprie sophisma, vel sophisticus appelatur. Duo autem suprema sophismatum genera statuuntur; sicut in verbis, quedam sita sint, altera in rebus. Acceorum, que in verbis existunt, aut in una tantum voce, ut acentus, figura dictionis, et homonymia; aut in pluribus ut amphibolia, compositio, divisio que reperiuntur.

Acentus sophismata e varia ejusdem silabę quantitate dicuntur. Variat

enim multorum significatio verborum ejusdem quantitate silabę variante. Repente v.c. prima correpta subito, statim, protinus indicat; producta verò participium (sic enim usurpant grammatici) est verbi repo, quod idem valet, ac repto, serpo, corpus humi traho. Figura deinde dictionis falacia committitur, cum diversis quidem significatione vocabulis sono tamen similimis, eadem significatio tribuitur. Ut cum Euclidis dialectici scholen, id est, scholam, cholen, hoc est bilem, Diogenes cynicus appellabat, quod suos Logicus ille discipulos pugnaces, atque contentiosos efficeret.

Homonymia fit, cum verbum plura, aliqua, nullave proporcione conjuncta significans adhibetur; ut qui sydus la-

trare diceret aliquod, ob id quia sydus est quoddam, cui nomen est canis; vel imam montis partem; quę radices ejus translatione dicitur, pro ea plantę parte, qua succum planta ipsa hauxit è terra, decipiendi, jocandive cupidus intelligeret. Amphibolia est multarum ambigua vocum conjunctio, quę nullam haberent sepositę obscuritatem: ad hunc modum: credo te Petrum vicisse. Si namque voces illę te Petrum sic, ut sequitur, seponeretur; credo te vicisse Petrum, vel superasse; omnis aberit ambiguitas. Compositionis sophisma est, cum dividenda junguntur. Divisionis cum dividimus copulanda. Superioris exemplum is quidem prębet, qui tacentem loqui non posse diceret: nam ut silens, silendo loqui non possit:

silere tamen si desinet, loqui poterit, et loquetur. Inferioris ille, qui septem parem simul, et imparem numerum esse affirmaret. Propterea quod quatuor par sit, parem ve constituant numerum, tria imparem.

Quæ autem fallaciæ consequuntur, eæ res ipsas attingunt, suntque accidentis, dicti non simpliciter, consequentis, non causæ pro causa, petitionis principii, ignorationis elenchi. Accidentis fallatia est, cum rei, quod fortuito congruit perinde, tribuitur, quasi necessario conveniret. Vt si quis Philosophiam ex eo cogeret rejiciendam, quod in errorem duceret aliquando. Dicti autem non simpliciter, cum quod ex parte tantum accipi debet,

ex toto accipitur. Ut si dicatur Petrus est bonus logicus, bonus est igitur. Consequentis fallatia est, cum id ex antecedente colligitur, quod ex illo minime sequitur. Qua quidem uteretur, qui ex eo Philosophiam perniciossam esse conficeret, quod à quibusdam Ecclesiæ Patribus sit rejecta. Non causæ pro causa, cum quod causæ ratione caret. Ita, ut si causa esset, accipitur. Ut si quis criticem Christianæ Reipublicæ pestem diceret, quod critici extiterint perditissimi, qui in Sanctissimam illam Religionem petulanter invecti sunt. Non enim eorum licentiæ impietatisque causa fuit crítices cognitio, sed abusus.

Principium insuper petere dicitur, quisquis idem probat eodem; idve, ut firmo poni, quod probationis indigeat. Elenchus autem ignorare, qui aliud ab eo, quod impugnandum sibi esset impugnat. Fallatia tandem, quę multorum interrogatio dicitur, tunc fit, cum multa simul quęruntur, quibus nequit una esse satis responsio. Sic qui quęrenti, utrum nè pęcora, vel plantę animalia sint, esse tantum, vel non esse respondeat; fallaci, et captiosa interrogatione capietur. Verum hęc hactenus, ad Topicem veniamus.

CAPUT 4.m

DE ARGUMENTORUM SEDIBUS.

Omnis ratio diligens disserendi duas Tullio partes habere visa est; una inveniendi, quam Topicen; altera judicandi, quam Dialecticen, græcè scilicet appellavit. Ac nos quidem in altera elaboravimus: judicandi enim vias diligenter eo persequuti sumus libello, quem de judicio inscriptum dictavimus. Quoniam autem de altera in qua summa est utilitas Aristoteli Tullio, philosophis bene multis aliis, et doctissimis visa est, pauca hactenus, nec conjuncta dicimus: eam quidem tradere cogitamus, brevi tamen, quod ...

nulla ex eis, quæ hujus loci sunt dispersæ à nobis libris aliis dicentur, et superioribus, ut possui, dicta sunt.

Vt igitur earum rerum, quæ latent, ostenso, et notato loco, haud dificilis inventio est, ita cum argumentum vestigare aliquod volumus, locos nosse debemus. Sic enim has quasi sedes, è quibus argumenta promuntur à Topos, latinè locus. Aristoteles nominavit. Quapropter licet cum Tullio definire, locum esse argumenti sedem: argumentum autem rationem rei dubiæ fidem facientem.
Sed ex his locis quibus argumenta continentur inclusa, alii ea ipsa in re de qua disseritur, hærent; alii extrinsecus assumuntur; quam ob rem illa intrinseca, hæc extrinseca vulgo loca dicuntur. Primum

namque genus nimis est varium, et multiplex. Namque alia ex notatione dicimus, alia conjugata, alia ex genere, alia ex specie, alia ex diferentia, alia ex adjunctis, alia ex definitione, alia ex divissione, alia ex ente, ut dicitur, alia ex veritate, ac falsitate, alia ex causis, alia ex efectis, alia ex similitudine, ac dissimilitudine, alia ex relatis, alia ex antecedentibus, et consequentibus, alia ex majorum, aut parium, aut minorum comparatione. Et priora quidem duo dicuntur grammatica, quod ejus artis propria sint; sequentes vero sex logica, vel dialectica, ob id quod ad ipsam respiciant logicam; tum quod reliqua ad methafisicam spectant potissime, methafisica nominentur.

Jam multa ex notatione argumenta sumuntur. Notationem autem cum Tullio nominis vim voco, quam græci Ethymologiam; Aristoteles vero simbolum appellat, quod latine est nota. Itaque de quo notatio dicitur, aut negatur; nomen quoque ipsum dici, negarive potest; et vicissim. Ejus autem argumenti talis est formula: Philosofus est, qui sapientiæ studet, studet autem sapientiæ Cicero; Philosofus est ergo. Conjugata vocantur, quæ sunt ex verbis generis ejusdem. Ejusdem autem generis verba sunt, quæ ab uno ducta, varie commutantur: ut prudens, prudenter, prudentia; sapiens, sapienter, sapientia. Conjugatorum ea est lex: ut de quo unum ex ipsis dici, aut negari valeat; simi-

liter alterum: ex hac conjugatione verborum hujuscemodi est argumentum: qui prudentiam colit, qui prudenter agit, prudens habendus est: Petrus igitur, qui prudentiam colit, agitque prudenter; prudentia præditus, seu prudens habendus est.

Ut autem à genere rite ducatur argumentatio, hæc attendere oportet; posito genere, non necesse est, ponatur species: hæc tamen removebitur, si genus è medio tollatur: quidquid de genere dici, negarive potest, de specie pariter negari, vel dici valeret: à genere sic ducitur argumentum: translucida non sunt; colorata non sunt; nec cærulea igitur, nec viridia. De specie autem hæc docentur: specie posita, et genus ponatur, oportet,

et si species demititur aliqua, non statim genus aufertur; quod si omnis tollatur species, ipsum quoque genus funditus tollitur. Sic autem tractatur argumentatio, quæ ex specie sumuntur. Herbæ sunt virides: sunt igitur colloratæ. De diferentia hæc: cui repugnat, vel congruit diferentia, species convenit, aut repugnat, et versa vice: quidquid speciei convenit, vel repugnat, diferentiæ similiter atque constat. Ex èa autem sic concluditur. Simia non est rationis particeps; nec mulier est igitur. De adjunctis hæc præcipiuntur, sic ubi adjunca, seu proprietates sint: substantia inibi reperitur, et invicem; naturæ saltem ordine, ac legibus spectatis; earumdem proprietatum, vel adjunctorum eæ-

dem substantiæ sunt; similium similes, et vicissim. Ab hoc autem loco sic exuitur argumentatio: color hic est, ergo et ignis.

Ad definitionem hæc pertinent: quidquid definitione continetur, rei definitæ congruere debet: quidquid cum definitione convenit, aut repugnat; definita quoque cum re congruere, repugnare ve debet, et contrà. Hæc autem ad divisionem: pars minor est toto; totum autem cunctis partibus exæquatur: quidquid cunctis de partibus negari, dici ve potest, de toto similiter, et versa vice: partibus, nulla dempta, positis, totum ponitur necessario, et vicissim, exempla patent.

Entis idea sequitur, de qua hæc notanda sunt dogmata: quodlibet autem

est, aut non est: nihil simul esse, ac non esse, non potest: quod in rei alicujus idea clarè, distinctèque contineri percipiatur, ipsi rei convenit, repugnat vero; quod cum clara, et distincta ejus idea repugnat. De veritate, ac falsitate hæc: verum nisi ex vero, sequi non potest, neque ex vero quidquam nisi verum. Falsum pariter oriri nequit, nisi ex falso: nec ex falso quidquam oritur, nisi falsum. De causis deinde, ac efectis hæc: eficere consequitur esse, seu prius est esse, quam agere: causa rei alicujus eficiens, re ipsa, quam eficit, prior est: contra res efecta, posterior; prestantior, exelentiorque causa rem eficit prestantiorem: efectus nobilior à nobiliore fiat causa, necesse est: causa causæ est,

ut loquuntur, causa causati; hoc est effec-
tus ab hacce causa profectus. Sic nullus ex.
c. avus, qui patris mei causa est, mei eti-
am ipsius est causa, ratione, cur existam.
quod in causis essentialiter, ut ajunt, ac
necessario aliis causis subjectis locum
habet, non vero in illis, quæ accidentario,
et contingenter, ut logici loquuntur.
Quocirca pessime quis ad hunc modum
concluderet: hominis causa Deus est; ho-
mo autem peccati: Deus est igitur causa
peccati. Sed unde discesseram, reddeo.
Nihil semetipsum efficere, nihil ve sui
esse causa potest: nihil præterea nihil
efficit. Nihil nec ex nihilo oriri, nec
occidere in nihilo naturaliter potest.
Effectus esse nequit sua causa præstan-

tor, ipse insuper sua in causa aliquomodo continetur, efectus tandem posito, ejus item causa ponatur, necessarium est.

Haec insuper in similitudine, atque dissimilitudine considerantur: ut paribus paria, similibus similia conveniant; quemadmodum dispaiia disparibus, dissimilibus dissimilia. Relatorum lex esto: ut eorum uno posito, vel sublato, alterum poni, tollive debeat. Antecedentium autem, et consequentium haec est regula: cui antecedentia, et consequentia conveniat, in ipsum etiam, quod illa consequitur, convenit. Ejus loci exemplum accipite: si et ferro interfectus est ille, et tu inimicus ejus cum gladio cruento comprehensus es in illo ipso loco; et nullo praeter te ibi vis-

sus est, et causa nemini, et tu semper audax; quid est quod de facinore dubitare possimus? Deinceps loci sunt, qui a contrariis seu adversis, privantibus, et negantibus, seu contradicentibus appellantur. De adversis, deque privantibus id praecipitur: ut cum eorum unum conquat; alterum etiam, non simul quidem, sed alias convenire posit. Praeterea neque haec, neque negantia sunt ejusmodi, ut cohaerere valeant aliquando: quapropter si quod verum sit, alterum esse debeat falsum. Ex illis autem argumenta talia existunt: si ~~sub~~ stultitia vitanda est, expetenda certe sapientia et bonitas, si malitia: si inhumanitatem fugimus, humanitatem sequamur: si bonus est ille, nequit esse non bonus simul;

si homo, non homo; cætera.

E comparatione autem omnia, ut docet Tullius, valent, quæ sunt ejusmodi: ita quod in re majore valet, valeat in minori necesse est: ut occidere illum potuit, et ferire igitur. Item contrà: quod in minori valet, non numquam valeat in majori. Licèt superius exemplum ita convertere: illum ferire non potuit; multo igitur minus occidere. Tum quod in re pari valet, valeat et impari: ut meum mihi Patrem vexare non licet, nec tuum igitur tibi; atque de locis, quos in re ipsa, de qua disseritur, hærere diximus, satis, super que.

Qui extrinsecus assumuntur ii in testimonio sunt positi. Quidquid autem ab externa aliqua ad faciendam fidem

sumitur, ducimus testimonium: quod divinum est, vel humanum. Dei testimonia certissima videlicet sunt; hominum contra possunt esse non certa, nec vera sed falsa, et incerta: quinimo persępè falsa esse depręhenduntur. Ast omnium sapientium proborum auctoritas testimonii certè pondus habet. Nam nemo omnes, omnes neminem, singuli singulos fallunt, ut sententiosus, et gravis, quod alias diximus, Seneca scripsit. Pariter certum est, quod, à probatissimis historiis, monumentis, lapidibus, nummis assumitur. De ratiocinatione pręcepta dedimus: de Dispositione, ut pauca silentium tamen esse non potest.

ARTIS LOGICES

LIBER 4.^s

DE COGITATIONUM DISPOSITIONE.

Est enim sine dubio aptus cogitationum ordo cuique perutilis; studioso autem sapientiæ maximè necessarius. Fremant omnes licet; dicam, quod sentio: omnium humanæ mentis cogitationum una mihi dispositio videtur, si quis ejus naturam inspexerit, et utilitatis causa reliquas vincere, et necessitatis ratione præstare. Numquam equidem diffitebor, si veritas omnis uno, ut ita dicam, mentis obtutu, unicavè ratiocinatione

percipi possit: non perpendiculis, non normis,
non regulis opus esse: idque omne, quod de
dispositione præcipitur, superesse. At cum
ita mens nostra quasi lippiat, ut nisi lon-
ga judiciorum, ratiocinationumque ad-
hibita progressione, nihil ferme cernere va-
leat; nihil tam nostra interesse relinquitur, quam
certas, tutasque regulas habere, quibus hac in
re dirigamur, ne ullo inducti errore, de veri-
tatis, de sapientiæ via, quam deperimus, ne-
dum quærimus, decedamus. Oratiuncu-
lam itaque ut propositum urgeam, sic
bipartito distributam, ut primum, quæ
utrique dispositioni, vel methodo, Ana-
lyticæ videlicet, ac syntheticæ, commu-
nia sunt, et propria declarem: tum de
disputatione instituenda præcipiam.

CAPUT 1.^m

DE REGULIS ANALYSIM, SIMULAC SYNTHESIN ATINGENTIBUS.

Jam vero methodus, (disputatio velim appellaretur; sed valeat, vigeat, floreat consuetudo) Ea est cogitationum ordinatio, quæ, ut veritas aut latens inveniatur, aut doceatur inventa, requiritur. Est namque duplex resolutionis, et compositionis, seu analytica, et syntetica. Illa est qua latens veritas invenitur, hæc qua detecta, inventaque veritas edocetur. Multa sunt utriusque communia. Primum: ut sive inquirenda nobis est veritas, aut aliis demonstranda, à facillimis, et notissimis

ducamus exordium, inde autem ad obscu-
riora, et difficiliora sensim, pedetentim-
que progrediamur. Sic enim a natura com-
paratus est homo, ut nisi per sibi notissima
ad eorum, quę nescit cognitionem pervenire
non possit. Deinde, ut neque adsint verba, ne-
que supersint; stylus autem pressus sit, simplex,
facilis. Hęc enim ad docendum, invenien-
dumque mirabiliter faciunt: quemadmo-
dum ad concitandos, corrigendosque ani-
mos orationis ubertas, et verba magnifica.

Pręterea ut inquirenda res, vel do-
cenda commoda divisione secetur; mem-
bra autem sedulo examinentur, aut pers-
picue, et ex ordine doceantur. Rem enim
et facilius detegit, et apertius, ac planius
exponit, qui partite, definite, ordinate,

distincte procedit. Vocabula insuper obscuritatis, vel ambiguitatis quidquam habentia, definiantur; ad easdemque cogitationes significandas semper adhibeantur. Quod præstare, qui negliget, nec quid quærat, ipse agnoscet; nec alii, quid tradere ipse velit, intelligent. Et quoniam de iis, quæ utriusque sunt methodi diximus; sequi videtis, ut videamus, quænam illa sint, quæ de earum una qualibet præcipiuntur: cum autem invenire primum sit, docere postremum, resolutionis methodum ei, quæ compositionis dicitur, præmitamus.

Qui ergo veritatem aliquam scrutari, et rimari velit, aut dificilem quampiam enodare quæstionem; primum: secum ipse cogitare debebit, num ad illud exsequendum,

satis reperiatur instructus. Quinamque de Sacra ex.c. disputare Theologia, de Legibus canonicis, aut civilibus, de Astronomia, vel Musica vellet, quin ejusmodi scientiis animus ejus informatus esset quodam modo; is videlicet insaniret. Quod si aptum se evolvendę quęstioni deprehenderet; compositione, an simplex illa sit, viderit. Si compositionem habebit dividatur, eaque primum, quę cęteris lucem afferre valeant, discutiantur. Deinde quis status quęstionis sit, hoc est, quid illud sit, in quo tota versatur dificultas, perspiciatur. Nisi enim hoc certo constiterit; incerta huc, illuc inquisitio, aut disputatio vagabitur.

Quo quidem constituto, ita colligenda res est, ut quę ad illam non spectabunt,

procul removeantur. Et ac si muscę essent, abigantur, fugentur, propellantur. Contrà, quę societatem, afinitatem ve aliquam cum re proposita habeant, ea solertissimè perquirantur. Principia insuper certa, et perspicua, medię quoque ideę, quibus, quę antea habeantur, comparari valeant, disquirantur. His namque sublatis, progredi nemo digitum potest.

Tres principiorum fontes statuuntur, ratio, experientia, auctoritas. Metafisicarum questionum principia ratio; phisicarum natura, observatio, periculum, Theologicarum, juridicarum, et historicarum auctoritas divina, vel humana suppeditat. Pręterea, quod idea aliqua contineri clarè percipietur, illi tribuendum est; contra quod

illi adversarii similiter cognoscatur, removendum, de illa negandum. Quod si neutrum clara perceptione cognoscitur; rursus idearum instituatur collatio, ~~donec~~ nec conveniant, nec ne perspiciatur. Id autem si iteratis collationibus, et vestigationibus non appareat; neque vera res, neque falsa, sed incerta pronuncietur, et dubia. Atque hęc in veritatis inquisitione serventur.

Cum autem quod scit aliquis alios docere habeat: hęc ipse observet. Principio nequem doceat, nisi quod satis ipse perspectum, et cognitum habeat. Deinde auditores sibi idoneos delligat, qui rem capere, atque discere valeant. Neque omnia sunt omnibus, neque de omnibus cum omnibus est agendum. Singula quoque

obscura, et ambigua vocabula definiantur; Axiomata definitionibus subjiciantur; nec quidquam, nisi è definitionibus, axiomatibus, confectis vè propositionibus demonstretur. Probandarum autem propositionum ordo is esto; ut quę aliis ostendendis erunt idoneę, iis pręmittantur. Nulla denique propossitio afferatur, quę aut non ad rem pertineat, aut non ad eam faciat illustrandam.

CAPUT ALTERUM.

DE RECTA DISPUTANDI RATIONE.

Reliquum est, ut quemadmodum disputatio instituenda sit, videamus. Disputationis autem nomine reciproca propositionis alicujus impugnatio coram habita, tutioque denotatur. Qui propositionem impugnat objiciens dicitur; qui tuetur defendens. Si quis autem defendentis teneat partes, illique sicubi facile opituletur, is Preses vocatur. Illud jam vero omnium interest disputantium, rem in medium vocandam habere perspectam; linguam, qua disputabitur, probe tenere; praesentis esse animi; iram resecare, odiu,

invidentiam, tumultuosos denique affectus omnes coercere. Hæc communia, quæ veró, jam præcipiam, singularia.

Est itaque defendentis quæstionem proponere; quæ sibi opinio verisimilior visa sit constituere, argumentisque firmare, atque confirmare, quoad fieri possit gravissimis. Objicientem deinde excipere perhumaniter. Objecta insuper iisdem, si fieri quidem posit, verbis repetere, quibus erunt ab ipso projiciente prolata. Ad hæc, quam esse veram judicet, propositionem concedere, quam vero falsam leniter improbare; cui ambiguitatem subesse aliquam, limitare quam in rem non cadere animadvertet, ejus esse indolis comiter declarare; aut sibi datum, vel permissum assumat, quod nec verita-

ti consonet, nec illi sit ~~ri~~ vera concessum.

Venio ad objicientem; cui tria præstanda sunt. Primum, ut defendentis sententiam argumentis impugnet recte contrariis; totoque disputationis tractu negatas sibi propositiones aptis, opportunisque rationibus approbet. Alterum, ne medium, ne viam, quam semel oppositam labefactaturus sententiam, ingressus est, desserat aliquando: sed eam semper insistat. Tum maxime nitatur, ut argumentum ad evidentia ~~m~~ certissimaque principia tandem aliquando reducat. Sic enim adversarii propositionem falsitate laborare clarescat. De Præside nihil est, quod præcipiam. Non enim de veteranis; sed tyronibus ego in disputa

tionibus hęc scribo, rudibus, peregrinis, hospitibus.

Ac mihi finem hic docendi facturo, illud per utile futurum, venit in mentem, ut disputationis alicujus exemplum, vobis, Adolescentes, imitandum, exponerem. Quod enim, ut ait Seneca, per pręcepta longum est iter, ac dificile; breve redditur, et facile per exemplum. (1) Vos itaque, velim à me parumper animum avertatis; duos autem adolescentes, logicę studiosissimos loqui putetis, Carolum, et Antonium. Eorum autem totum esse de judicii natura sermonem: ut illud ad intelligentiam spectare tueatur Antonius: Carolus contrà ad voluntatem, objiciat pertinere: ergo ita

nascatur exordium.

Antonius. Sunt ista vera, mi Carole; neq. enim judicium voluntati, sed intelligentiæ cujus est actio, debet attribui. Quare existimare debes, opositam Cartesii sententiam, aut falsam esse, aut finitimam falsitati. Neque verò id propterea dixisse putato, quod illius opinio sit (multa quidem cartesiana mihi dogmata placent) sed et ob rationum, quibus ille ipse nititur imbecillitatem, et argumentorum, quibus impetitur, gravitatem.

Carolus. Quam sępè finitima sunt falsa veris! Sed gravia ista tua argumenta, jam tum equidem cum loqui ordiemur optabam. Quod autem argumenta dicis, non erras. Quod gravia, et ponderosa, tua pace

dixerim, deciperis.

Antonius. Hoc est quantum assequor ē dissertatione altercationem facere; atq. oleum, ut dicitur, et operam perdere, tantū enim, quod ego negem, tu vero afirmes, aut secus, res sic, vel aliter se habere non potest. Rationibus itaque nobis agendum est, si quidem disputationem utilem futuram velimus.

Carolus. Quorsum ista? an non argumenta metua expectare nuperrime dixi? Non is ego sum certè, quem infructuosę lites delectent: quinimo aut proxime atque tu ipse, aut etiam ęquè inanes concertationes aversor. Quare age dum rationem afer, cur intelligentię actio judicium tibi esse videatur.

Antonius. Tibi morem geram.

Car. Grates refero.

Ant. Sic ergo concludo. Judicium ejus est convenientiæ, aut discrepantiæ perceptio, quæ inter duas, pluresve ideas intercedit. Perceptio autem istiusmodi non ad volendi, sed ad intelligendi vim referri debet. Intelligentiæ igitur non voluntatis est judicare. Quod si assumptionis probationem spectas, illam accipito; propositio enim clarior est, quam ut aprobationis alicujus indigeat. Omnis voluntatis actio, aut est velle, aut nolle. Quod negat Philosoforum nemo; perceptio autem illa, in qua judicium est situm, nec est velle, nec nolle; sed rei tantum perceptæ cognitio. Non est igitur voluntatis actio. Est quidem, Carole, voluntatis rem cognitam, perspec-

tam, judicatam amare, odisse, desiderare, timere, cętera, quę certi quidam volendi modi sunt, aut nollendi; at inquirere, examinare, cognoscere, judicare, perspicere, idque genus reliqua, intelligentię. Hęc, preit, illa sequitur. Occulata, ut ita dicam, intelligentia est, cęca voluntas. Vide igitur ne judicium, quod visio quędam est, ad mentis facultatem cujus non est videre, pertineat.

Carolus. Probabilia quidem omnia; sed nihil amplius. Ecce probabiliora. Ejus interest judicare, cujus assentire sit, vel dissentire de aliquo. Voluntatis autem est assentire, vel dissentire. Voluntatis igitur est judicare.

Antonius. Totus ex assumptionis falsi-

tate claudicat sylogismus.

Car. Nihil adhuc est, quod triumphes ejus enim ulcera jam jam sanitati restitu[...]. Ejus namque est annuere, vel renuere, cu[...]jus quoque est assentire, vel dissentire. Voluntatis autem est annuere, seu renu[...]ere. Est igitur ejusdem assentire, vel dissentire.

Ant. Eodem sylogismus morbo laborat.

Car. At medicus adest; non est saluti desperandum. Annuere siquidem, seu renuere est velle, vel nolle. Hæc autem voluntatem attingunt. Et annuere igitur, vel renuere.

Ant. Hæc autem ratiocinatio, quamvis non ex pede, ex capite certe laborat

Car. Propositionem improbas, quantum assequor: sic enim loqueris, ut non objicientis modo, verum etiam conjectoris, ac interpretis munus fungar, necesse sit.

Ant. Improbo quidem certè.

Car. Bene profectò habet. Sic ipsam aprobo. Annuere, vel renuere, est concedere, vel negare. Hęc autem velle, vel nolle. Annuere igitur, vel renuere, nihil est aliud, quam velle, vel nolle.

Ant. Ambiguam esse propositionem vides: quare ita judicandum puto, ut si vocibus concedere, vel negare, nihil aliud significes, quam convenientiam, idearumq, aut discrepantiam intelligere, absoluta; sin autem amplius, falsitatis exeat condemnata.

Car. Urgeo nihilominus et assumo ad hunc modum: annuere autem, vel renuere non solum est convenientiam, vel repugnantiam idearum discernere; sed quoddam aliud praeterea: corruit ergo, jacet strata distinctio.

Ant. Ecquid eo falsius, quod assumis?

Car. Perficiam, ut illud falsitatis absolvas. Nam annuere, vel renuere est id, quod percipitur, probare, vel improbare. Hoc autem a perceptione discrepat. Est igitur annuere, vel renuere quoddam a relationis perceptione distinctum.

Ant. Distinctionis indiget propositio: nihil enim tu nominis ambiguitate errare videris.

Car. Sat est, Antoni, quo tendat ar-

gumentum, vides. Nunc, quod est in more positum, instituto que disputantium, ea aliquantulum illustrentur. Quo circa a te maximo opere quæso, ac peto, me sustineas parumper, ac perferas.

Ant. Cum per mihi grata sunt tua omnia, tum maximè objiciendi vis egregia omni lepore, ac venustate conjuncta. Quare age nunc, refer animum, sis ad objecta.

Car. O! comen benignum, adolescentem humanum, facilem, suavissimum! Sed ne te diutius teneam; rem accipe uno tantum epicheremmate, ut Rethor loqui solet, ac Logicus, comprehensam. Voluntatis dico id omne interesse, quod assentire sit, vel disentire: annuere, vel renuere: probare, vel improbare: concedere, vel negare; verbo; velle, vel nolle. Horum enim

quodvis aliquid est, à perceptione distinctum.
Quis enim ita decipiat, ut qui rem intelligat
aliquampiam, cum tantum quod intelligat,
assentiri dicat, annuere, probare, concedere,
velle; aut quæ iis sunt oppositæ actiones elicere? Aut quis non videat ejus esse facultatis hæc omnia, cujus interest velle, vel nolle?
ut enim consentire, probare, concedere, velle dubio procul est. Sic dissentire, improbare, renuere, nolle. Nihil autem est ea
mentis cogitatio, quam judicium dicimus
ab ipsius mentis assensu, vel dissensu distinctum: quinimo assensio, vel dissensio;
affirmatio, aut negatio; judicium est. Nam
qui judicat rem sic esse, vel aliter decidit,
statuit, determinat, unum de alio ait, aut
negat. Quæ cum ita sint, et judicare volunta-

tis esse relinquitur: nec me ex ea opinione ullius umquam oratio docti, vel indocti hominis movebit, Antoni.

Ant. Et si tibi vicisse videaris, nondum tamen confecta res est, aut ad exitum per optatum ducta. Equidem voluntatis, fateor, quidquid velle, vel nolle sit, interesse, at nihil ejusmodi ullo in juditio reperias. Quod ut ita esse cognoscas, reddi mecum in ejus definitionis memoriam, qua juditii naturam brebiter, ac circumscripte inter probandum exposui. Est namque nihil omnino aliud illa ipsa mentis actio, nisi duarum, pluriumve idearum convenientię, aut discrepantię perceptio. Ubi jam vero hac in actione, velle aliquid reperitur? Ubinam nolle? Ubi quidquam ad illa ipsa referri potens ullo-

modo? profecto nusquam? At enim mens judicans modo assentitur, ait, probat: modo dissentit, improbat, diffitetur. Esto: sed modo vult, modo non vult, cur non addis? Assentiri ergo mens judicans dicitur, probare item, seu annuere, cum convenientiam idearum percipit, cum vero discrepantiam intelligit, dissentire, improbare, renuere.

Neque vero id diffiteor, e judiciis voluntatem consentire, vel dissentire. Sed inter intelligentię, ac voluntatis assensus, et dissensus plurimum interest. Consentit namque voluntas, aut secus, cum quod ante judicatum est, illud adversatur, aut diligit, sperat, aut metuit; cupit, miratur, lętatur, męret; binis verbis, vult, aut non vult. Quis enim illud odio, vel amore, affectuve alio prosequitur, quod non prius quale sit,

judicaverit? Quod si ita est, ut esse confeci; muta, quæso, sententiam, Carole, ut, quod tuis, tibi ingratius fatendum esset, id mihi ultro assentiaris: judicium videlicet, intelligentiam, non voluntatem intelligere.

Car. Nondum teneor responsione; sed rediens argumentis ultro, citroque adhibendis, intereà traducatur. Finis sit disputationis.

Exposui fere, ut potui, quæ maxime ad omnia humanæ mentis cogitationum genera spectare censebam. Dixi namque de perceptione, natura, et varietate nostrarum. Dixi cum de omnibus, tum de his potissime, quibus illæ ostenduntur signis, videlicet terminis: dixi de judiciis, ac propositionibus; de critica etiam arte; de ratiocinationibus, sylogismis; dixi de ordine in dicenda, et docenda veritate, servan-

do; atque modo in disputationibus adhibendo quibus tota quanta quanta est cogitandi ars Logicę continetur.

LOGICORUM SEU QUÆSTIONUM AD LOGICAM RESPICIENTUM APENDIX.

Id jam vero unum restare video, quod ego mihi extremum proposueram, cum essem libri hujus particionem facturus: disputaciones ut aliquas ad Logicam spectantes, instituam. Nam hinc ad eas ipsas Logicę præceptiones, quas tradidimus, pluximum claritatis accedet: hinc ad eos, qui sapientiam gerunt, laus, honor, digni-

tas confluet; hinc vobis quoque, discipuli, vestri æqua viribus disserendi materia comparatur. Sed antequam disceptare incipimus, de genere ipsius artis, de materia, de offitio, de fine dicendum non nihil ducimus; ne quid à nobis prætermissum esse videatur.

Materiam artis, aut scientiæ illam dicimus, in qua omnis ars, vel scientia versatur. Vt in Medicinæ materiam morbos dicimus, et vulnera; ob id quod tota in his Medicina versetur. Item quibus in rebus versatur ars, et facultas, quam Logicam dicimus; eas res ipsas Materiam artis Logices nominamus. Has autem res alii plures, alii pautiores, alii alias existimarunt: Scholasticorum enim

opiniones hic et innumerabiles, et rarissime.
At quemadmodum nostra fert opinio. Logices materia, quam objectum materiale vulgo appellant, mentis humanę cogitationes sunt, quippe quia in his, ut est perspicuum, omnis hęc disciplina versatur.

At enim et voces Logices curę sunt: quippe, quidni et materia sint ejus, materię ve pars? quod non ipsorum causa, sed cogitationum, quas exhibent, eas ipsas respiciat Logica. Quod si quis cum in vocibus quodam Logica modo versetur, eas illius esse materiam pugnat; pręcipuam, et proximam, nego; secundariam, remotamque non diffiteor; at perceptio nec falsitatis est capax, nec ideirco rectionis; quasi vero definitionem non sępe perceptio composita

complectatur; simplex autem genus, diferentiam, speciem, cętera ejusmodi; in quibus multa peccare non potest, nisi Logices illi pręcepta pręluceant.

Huc accedit subjectum, ut loquuntur, formale. Quod ea est ratio, secundum quam materia ipsa, objectum ve materiale ab arte, vel scientia respicitur. Sic formale Medicę artis subjectum morbi sunt ipsi, et vulnera quatenus sanabilia. Logicę autem ipsa hominum cogitata, prout ad verum inquirendum regi, et dirigi possunt: vel cogitationum in verum, ut Schola usurpat, dirigibilitas. Totum enim, totale ve objectum illud vocant, quod ē materiali, et formali conflatur. Quare totum integrum ve Logicę objectum ipsa mentis sunt cogitata, prout

ad verum inquirendum regi, ac dirigi possunt. Praeterea quod in singularium facultatum objectum primas tenet, ut in Metafisicis Deus; id appellant attributionis objectum, quod in Logica, opinor, ratiocinatio est.

Ejus deinde officium est, cogitare apposite ad veritatis inquisitionem: finis veritatem inquirere, atque invenire cogitatione. Inter oficium enim, et finem illud interest, quod in illo quid officiũ, in hoc quid officio congruat, spectatur. Ut Medici officium esse dicimus, curare ad sanandum idoneè; finem ipsa cum ratione sanare, item Logici quid oficium, et quid finem esse dicam, intelligetis; cum id, quod eficere ipse debet officium ejus esse dicetis, cujus causa eficere debet, finem denominabitis.

Neque vero finis Logicum efficit, sed officium. Ut enim ille verus est Medicus, qui medicinam, licet non sanet, rectè adhibeat. Orator autem qui non persuadet, modo dicat ad persuadendum apposite; Guvernator etsi à portu fuerit tempestate abreptus: sic verus etiam Logicus, qui verum, quod tandem non inveniat, aptè quæsierit, merito, atque optimo jure dicetur. Officium autem Logici ex Cicerone paucis quidem, et perpulchris accipite. „Rem universam „tribuere in partes; latentem explicare definiendo; obscura explanare interpretando; „ambigua primum videre; deinde distinguere; postremo habere regulam, qua vera, et „falsa judicentur, et quæ, quibus positis, sint „quæve non sint consequentia. (1.)

Scientia insuper demonstrationis, quæ plerumque scientiæ nomine ab omnibus intelligitur, rei alicujus, ut scitis, cognitio vera est, certa, et perspicua, eas que causas, seu rationes complectens, propter quas ea ipsa res est. Hanc autem scientiam, quod actus illa sit, et si minus latine, perspicue tamen nominat actualem; demonstrandi vero habitum, sive vere rerum certè, ac dilucidè, perque rationes earum, et causas cognoscendarum habitualem. Duo alia scientiæ genera distinguntur, unum activæ. græcè practicæ, alterum spectativæ, vel ut græcus loquitur theoreticæ. Superior sic definitur à Quintiliano,(1)

„ ea sit, cujus finis in agendo sit positus, ipsoque
„ actu percipiatur, qualis est saltatio; Inferio-

(1) De Claris Orator. Cap. 41.

„rem esse ait, quę nullum exigit actum, sed ip-
„so rei, cujus studium habet, intellectu conten-
„ta est, qualis est Astrologia„ (2) Hęc puto cla-
riora, ut activa ea scientia dicatur, quę prę-
cepta, ut ejus rectè versetur, aut fiat mate-
ria, pręscribat, quę ut cognoscatur solum,
spectativa. Propterea fabrilis, nautica, mi-
litaris, activę: Phisica, Methafisica, As-
trologia spectativę.

Logicam igitur, ut reddeam ad propo-
situm scientiam esse dixero, atque activam. Nam
primum quas continet regulas, eę certe omnino
sunt, principiis que longe gravissimis, firmis-
simis que sufultę; ut sylogismum tribus tan-
tum terminis constare debere, propterea quod
sit ratiocinationis interpres, ideoque notio a-

(2) Q. inst. Orat. lib. 2. Cap. 38.

firmans, negansve unum, de alio per aliud. I...
autem principiis hisce nititur evidentibus, et
notissimis: „ quæ tertio cuidam conveniunt, aut
„ repugnant, convenientia inter se sunt, aut re-
„ pugnantia; quod toti generi, speciei ve cuipiam
„ congruit, omnibus, ac singulis ejus speciebus,
„ et individuis etiam quadrat. Prætera aliquid
„ faciendum docet, definitionem videlicet,
divisionem, sylogismum, cætera. Quinimo
ejus regulæ eo demum omnes collineant, ut
cogitationes, quæ ipsius materia sunt, recte
fiant.

Similiter autem eam esse contendo.
Est enim ars, ut Logicæ initio ex auctore li-
brorum ad Herennium definivimus; præcep-
tio certam alicujus viam, et rationem suppe-
ditans. Certam autem viam definiendi, par-

tiendi, dijudicandi suppeditat Logica. Est igitur ars; imo artium omnium est maxima, ut Augustinus (1) et Tullius (2) loquuntur. Et multa quidem artium genera numerantur; sed duo tamen præcipua sunt, liberalium scilicet, et illiberalium, vel servilium. Illæ sunt, quæ solius vi mentis, hæ, quæ adhibitis etiam corporis viribus, exercentur. Sic in liberalibus, ut ingenuis Grammatica recensetur, Rethorica, Logica, Arismetica, Musica, Geometria, et Astrologia: in illiberalibus Agricultura, Venatoria, Militaris, Nautica, Chirurgia, Textoria, Fabrilis. Superiores hoc in versu contentæ sunt.

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Astra.

(1) Lib. 2. de Ord. Cap. 13. (2) In Brut. 41. Cap.

Inferiores hoc:

Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber.

Plurimę hic desunt, ut pingendi ars, ut saltandi, ut cęterę. Atque liberalium, et illiberalium ratio artium, variis quidem temporibus pro varia hominum ęstimatione variavit. Verum non Politicum hic agimus, sed Philosofum, cui quod utraque ars illa sit, supra exposui. Ac hęc hactenus.

Nunc quemadmodum Logica ipsa reliquarum comparationi scientiarum necessaria sit, videamus. Duo autem Logicę genera ponuntur, naturalis, et ut loquuntur, artificialis. Naturalis nihil est aliud, quam ipsa percipiendi vis judicandi, et ratiocinandi natura nobis insita, usu tamen aliquo, ac exercitatione polita. Artificialis est habitus

illas clare, distinctè que cognoscendi, et aplicandi leges, ac regulas, quibus mens nostra in veritatis inquisitione dirigitur. Ex quo fit, ut arbitror, qui solius Logicę naturalis ope contenti sunt eos sic labi, ac errare sępissime cogitando; ut ii sermocinando, qui usu dumtaxat linguam aliquam didicerunt. Vt enim hi probi, aptique sermonis leges aut ignorant, aut obscurè saltem, et confussè percipiunt: sic illi regulas bene, et apposite cogitandi. Quibus positis, sic existimo, nullam ei scientiam esse, veram inquam, et omnibus partibus firmam, qui artificialis Logicę rudis sit. Hic enim nec rationem cogitationum suarum reddere potest; et errori, et deceptioni maxime obnoxius sit, necesse est. Quare non utilem modo, ut quid-

piam vere sciatur, logicam puto; quod nemo negat, sed insuper necessariam. Sed hæc tanti non sunt, ut amplius immoremur.

Illud autem Gellii præterire non possum, quod de logicæ jucunditate conscripsit. „Dialecticæ, inquit, cognitio in principiis quidem „tetra, et aspernabilis, insuavisque, et inutilis „videri solet. Sed ubi aliquantulum processeris, tum denique, et emolumentum ejus in animo tuo dilucebit, et sequetur quædam discendi cupiditas insaciabilis. Cui sane nisi modum feceris, periculum non mediocre erit, ne, „ut plerique alii, tu quoque in illis Dialecticæ Giris, atque Meandris, tanquam apud „Syrenios scopulos consenescas. (1)

Jam his rebus breviter constitutis, ad eas statim disceptationes aggredi volumus, quæ no-

bis ad clariorem, atque pleniorem expositę
artis cognitionem maxime sunt opere per-
tinere. Quęrere itaque nobis perplacet, quo-
rumnam Philosoforum sectam, et instituta
persequi debeamus? An in Scientiis tractan-
dis, imo in oratione quavis, aut locutione,
cavenda, quoad esse possit, et liceat, barba-
ries, sermonisque vitium quodlibet; necnon
Germanę eloquentię ratio sit habenda. V-
trum ne perfecta illa sit, et absoluta per-
tractandę logicę ratio, qua de Critica nihil
penitus pręcipiatur. Vter deinde ordo, et via
ipsius tradendę logicę prestet: cui non lites
à primo, non in medio rixę, non contentio-
nes deerunt ad extremum, an qui sit ejus-
modi, ut locum disputationibus nullum,
nisi post pręceptionum finem relinquet.

Num qua possit in preceptionibus veritas, numquam falcitas reperire. Ex ideis ne judicia componantur; an simplices mentis funciones habendæ sint. Præterea utrum plurium judicium ne, an ingenium fieri debeat. Num denique aut cum fide scientia, aut cum opinione inhærere valeat societatem. Quæ cum dixerero, perorabo.

CAPUT 1.m

QUÆ POTISSIMUM PHILOSOFORUM SECTA SIT SAPIENTIÆ AMATORIBUS ELLIGENDA.

Ac homines quidem ad fęlicitatem nasci, eamque natura ipsa sequi, sertius est, ac dilucidius, quam ut demonstrationis alicujus indigeat, auditores. Voluptatem siquidem, et tranquilitatem, quę si perfecta sit, ipsa est fęlicitas, inhiamus; dolorem contra, et perturbationem, in quibus misseria, et infęlicitas sitę sunt, magistra omnes, et duce natura præfugimus. Felicitas quidem aut ex summi possesione boni, aut ex ejus, quod summum non est, dubitante nemine, proficis-

citur: quarum illa vera, perfecta, et absoluta; hæc imperfecta, exigua, et umbratica, reperiunt, fateor, quòd hancce vitam degunt, in omnes partes homines esse felices, et multi esse quidem possunt, si studio, si labore, si precibus de vera sapientia nitantur. Hac enim bona nobis, et mala discernimus: viam etiam, qua bona parantur, devitantur vero, aut saltem perferuntur, vanitermala cognoscimus, Atqui studium sapientiæ Philosofia profecto est: studii autem hujus recte instituendi ratio Logica, quæ propterea Philosofandi ars aptissime diceretur. Quæ cum ita sint, nihil nec nobis utilius, nec Logicæ ipsæ conjunctius esse relinquitur, quam quæ potissimum Philosoforum secta sapientiæ stu-

diosis eligenda sit, vestigare.

Sunt igitur hoc, nec ullo tempore defluxere, qui sic Pitagorei, Platonici, Democriti, Aristotelei, Stoici esse; aut Gassendi, Cartesii, Newtoni, Leibnysii, Wolfi dogmata sequi, ac tueri decreverint, ut malint secum horum aliquo Philosoforum decipi, quam vera cum aliis, aut verisimilia sentire. Non tam isti quærunt, num quæ à suis dicta sunt coryphæis (sic enim Scholæ Principem alicujus græci vocare solebant.) ea firmis, aut infirmis rationum momentis insistant: quam utrum eadem illi re vera pronunciarint. Si qua inter ipsos de re aliqua contentio exoritur; statim convenit, ut eorum ait aliquis, ille dixit: ille autem Plato est, Aristoteles, aliusve Philosophus, in cu-

jus verba jurarunt. Vt enim illa fortunatus ille rationem afferat; una tamen ejus auctoritate franguntur. Quid plura? ne transversum quidem unguem, quod ajunt, à Ducis sententiâ recedere se posse autumant, et pluris ejus ratione testimonium ducendum existimant: quam argumentum, rationem ve aliquam naturę firmissimam, nullo ipsius testimonio, et auctoritate munitam. Sed pergam porro: hi enim ita se gerunt, ut non tam scire, quam credere, neque tam sapientiam, quam hunc, illum ve sapientię studiossum adamare, deperire, ac quęrere videantur.

Per multi contrà cum omni floruere, tum nostra memoria viri clarissimi reperiuntur, quibus etsi Plato carus sit, gratus Aris-

toteles, Cartesius, aliusve Philosofus amicissimus; ipsius tamen omnibus carior est veritas, gratior, et amicitior. Cum nihil tam dici possit absurde, quod non Philosophorum aliquis dixerit: (1) nec ulla sit secta tam debia, et præceps, aut sic ineptus, et inanis Philosofus, qui non veri aliquid viderit. (2) In omnibus neminem, omnes in aliquibus sequuntur. Non hominem, sed veritatem colunt; non sapientiæ amatorem aliquem, sed sapientiam ipsam quæritant; non serviunt denique, sed philosofantur. Sapientiam autem ratione vestigant, eorum ratio periculis, et observationibus, sensu intimo, et ratiocinatione dirigun-tur. Quod si res incidunt, quæ nullo, nisi auctoritatis subsidio detegi valeant, rationem

(1) Cic. de Divin. lib. 2. cap. 58. (2) Lact. lib. 7. divin. inst. C. 7.

moderatrix auctoritas, quę principe in Theologia, Juridicis, et Historicis locum habet; horum nullum sciscitantem audiatis, cujus hęc sint, illave dogmata, quis aut hac, aut illa stiterit opinione; sed quot, quantis, quam vero similibus argumentis uniuscujusque, quisquis ille sit, placita, et instituta firmentur. Vt enim primas alicui, priores tamen libenter deferunt veritati.

Hujus igitur sectę, quam Eclecticam vocant, seu Electivam (quod ejus alumni nullo addicti Philosofo, nulli dediti, nulli obstricti: ex omnibus optima deligunt, et sequuntur ab eclegey, latinè deligere) florentissimum quemque cum veterem, tum recentiorem fuisse Philosofum deprehendimus. Sic Plato, sic Aristoteles, sic Clemens

Alexandrinus, sic Thaumaturgus ille Gregorius, sic Lactantius et filosofati sunt, et filosofandum esse docuerunt: ut non à Potamone Alexandrino, quod tradit Laertius in proemio, inventa, et inducta; sed maximè probata, et culta, et aucta, et ornata mihi secta ejusmodi videatur. Quapropter mirari satis eorum institutorum nequeo, qui cum omnibus Platonicos se esse, aut Aristotelicos glorientur, nihil tamen minus q.^m Aristotelis, Platonis ve Philosophandi viam, et rationem observent.

Sed ad me jam vero rediens, id, ut expromam, sequitur, quod Philosofię genus probem maximè; et qualis mihi secta videatur illa, quę reprehendi nihil possit, quam ego summam, et perfectissimam judicem. In

quo vereor, ne sit id, quod existimo, patefecero, eumque Philosofum, qui mihi probatur, expressero; in odium incurram, et ofensionem multorum, quos à me, hac in re potissimum nimio opere dissentire cognosco. Sed malo, cum meo muneri satisfecerim, adversariorum obtrectationes ferre; quam ipsorum, si id omisserim, silentium, aut si contra fecerim, benevolentiam experiri. Quid enim est, ô DEUS immortalis! quod magis, et me exponere, et vestra summa spe Adolescentes, intelligere referat, quam quę sit optima species, et quasi figura philosofandi? Ego itaque, sic statuo, qui se philosofię dediderunt, eos quidem omnes, sed hos tamen inprimis, quorum labores ad Sacrę Theologię studium meditantur, Eclecticos esse oportere. Cur autem,

ut Potamonici (sic enim à Potamone vocantur Eclectici) omnes ad unum sint, volo: q^d una horum secta rationis sit consona, quod maximè utilis, quod secura; reliquæ contra rationem inutiles, aut certè minus fructuosæ, nec ita securæ. Cur, ut ii præsertim, qui se ad Theologiam parant, quod Theologum dedecet, hujus, aut illius esse Philosofi sectatorem, neque ullum Philosofiæ genus, nisi Eclecticæ, Sacra illa cum scientia æquè consentit. Quæ sanè omnia etsi longam videntur orationem desiderare, percurram tamem brevi, nec vos diuturnitate sermonis obtundam.

Atque unam Eclecticorum sectam consentire rationi, cæteras vero ipsa cum ratione pugnare, nullo certe negotio con-

ficitur. Quid enim præcipit ratio? quid
ipsa fert humanæ mentis natura? quid su
us quemque animus commonet? quid veri
tas clamat? an hoc, vel illud; sic, aut ali
ter se habere; quod sic, aut secus esse Philo
sofus hic, vel ille docuerit? an ut hujus, il
lius vè hominis opiniones retineantur, be
lis, e quibusque, ut dicitur, decertandum: an
harum, illarum vè esse partium; impugna
re cæteros, aut comtemnere, et fastidire,
vel etiam prorsus nescire Philosofos? Nul
lius argumenta, nisi ejus, quem quis secu
atur, expendi? his autem, quasi Dei alicu
jus oraculis pariter assentiri? Non est ita,
Auditores, non est ita profecto, sed illa
conscientia quisque sua docetur, hominem
esse neminem, quin falli, et fallere posit;

quinimo in multis fefelisse plurimos, in aliquibus omnes esse deceptos. Nulli propterea tantum, quod ipse dixerit, assentiendum; nec ab ullo, quod non is sit, quem sectare volumus dissentiendum; sed omnes omnium sententias discuti, et argumenta perpendi oportere; quæ ex rationum pondere, aut vera esse, aut verisimilior videatur. Et hæc quidem, quæ Eclecticæ dogmata Philosofiæ sunt, rationi, conscientiæ, veritati ipsi consentire videtis: superiora vero illa, quæ reliquarum decreta esse dubitat nemo sectarum, ipsa cum ratione pugnare; conscientiæ, ac veritati resistere; scientias omnes pervertere; ipsam denique Philosofiæ urbem funditus tollere.

Huc accedit Ecclecticę sectę utilitas, inutilitas, aut multo saltem utilitas cęterarum. Ecclectici namque omnia omnium cogitata, et inventa rimantes, quid, et quare quisq.e opinetur, intelligunt: doctiores propterea fiunt: scientias autem Reipublicę non ornamento modo; sed usui quoque sunt, totique hominum generi felicitati. Contrà, qui ab uno semper volunt esse Philosofo: qui nulli pręter ipsum, assentiri statuunt, qui reliquorum placita, aut ne nosse quidem curant, aut curant quidem certè, sed ut ea facilius infirmare, ac tollere possint: hi inquam, nec sibi prospiciunt, nec scientiarum incremento, aut hominum felicitati consulunt. „ Cum enim sapere, inquit „ perdoctè Lactantius, id est veritatem quęre„ re, omnibus sit innatum, sapientiam sibi

"adimunt, qui sine ullo judicio inventa majorum
"probant, et ab aliis pecudum more ducuntur.
"Sed hoc eos fallit, quod majorum nomine
"posito, non putant fieri posse, ut aut ipsi plus
"sapiant, quia minores vocantur, aut illi
"decipuerint, quia majores nominantur. (1)
Quid quod per ea secula, cum nullius doctri-
nam privatè omnes, et publicè occidentis So-
lis scholę, nisi Aristotelis personaret; digitum
progredi Philosofia non potuit? Quid, quod
ubi Stagyritę, et Averroistarum tyrannis
depelli, ubi Itali, ubi Galli, ubi Germani libe-
re philosofari: ubi tota ferè in Europa solertis-
sissimi viri in literarum studiis Eclecticorum
more versari, restituta, et restaurata sunt mul-
ta, inventa quam plurima, scientię mirabi-

(1) Lib. 2. Div. inst. Cap. 7.

literæ auctę omnes, maxime naturales? Sed longum est dicere, quam sit ratio hęc philosofandi utilis, cęteræ vero infructuosę. Quare ad securitatem agrediar.

Hęc jam vero in eximia illa secta sit opposita, intelligite, a quibus non Plebeii, sed nobilissimi permulti Philosofi eo perducti sunt, quo ire tota prohibet Christiana Religio. Non est, juvenes, verissimile, quot perclari Itali, quot Galli, Germani etiam, et Britanni errores; quot impia dogmata, suę quisque sectę amore incenssus admisserint? Quem enim latet e Gassendi secta Hobbecianismum, seu Materialismum emercisse, e Cartesiana BeKKerrianismum, e Chimistarum doctrina, Phanatismum, e Leibptiana, idealismum, e Neutoniana denique

Phanteismum? Græca videlicet vocabula, partim, et barbara, sed perspicua, et Dialecticorum, et Philosoforum usu protrita. Quis Atheorum ineat numerum; quos Aristotelis genuit Philosophia? Ne multa? Cesar. Cremonius, ut multos alios prætercam, eadem confitentes, se, „inquit, Aristoteles principia sequutum, mirum ne„mini esse debere, nonnulla scripsisse Christi„anæ fidei, ac veritati adversa. (r) Ex quo eam sectam reliquis securitate prestare relinquitur, quæ nulli mancipata Philosofo, quid, quid in cæteris, aut verum, aut vero finitimum reperit, apprehendit.

Reliquum est, ut ostendam, nec Theologum ullius Philosofi sectatorem esse oportere; nec nisi Eclecticam philosofandi viam Sacra cum Theologia planè

conqueri. „Quid enim, ut ajebat olim Ter-
„tullianus„ quid Athenis, et Hierosolimis?
„quid Academiæ, et Ecclesiæ? quid Hereti-
„cis, et Christianis? Nostra quidem insti-
„tutio de portico Salomonis est, qui et ipse
„tradiderat, Dominum in simplicitate quæ-
„rendum viderim, qui Stoicum, et Platonicum,
„et Dialecticum Christianissimum protule-
„runt. (1) Verum quid hac in re moror lo cu-
lentissima? Cedo mihi locum Theologiæ u-
num, qui Platonis Philosofia sit, Aristote-
lis, Gassendi, alteriusvè Philosofi. At ratio
in locis Theologicis locum habet; ea igitur
Philosofia, quæ ratione dirigitur, quæ ratio-
nem perficit, acuit, illuminat, una Theolo-
gis usui est, una Theologiæ mirabiliter fa-

(1) De prescrip. Cap. 7.

mulatur. Hujusmodi autem una est Eclectica, quemadmodum ex supra expositis sequitur. Hæc igitur sola Theologiæ consentit. Hanc Theologus unam sequatur, opportet; præterea nullam.

Nam, ut res amplius illustrata, convincat, in multas sectas Philosofia, ait Lactantius, „divissa est, et omnes varia sentiunt:
„in qua ponimus veritatem? in omnibus certe non potest. Designemus quamlibet:
„nempe in cæteris omnibus sapientia non
„erit. Transeamus ad singulas; eodem
„modo quidquid uni dabimus, cæteris au-
„feramus. Vnaquæque enim secta omnes a-
„lias evertit, ut se, suaque confirmet; nec ulli
„alteri sapere concedit, ne se decipere fateatur,
„sed sicut alias tollit, sic ipsa quoque ab aliis

„ tollitur omnibus. Quamcumque laudaveris,
„ veramque dixeris, à Philosofis vituperatur,
„ ut falsa. Credemus, ne igitur uni sese, suam
„ que doctrinam laudanti, an multis unius alte
„ rius ignorantiam culpantibus? Rectius sit, ne
„ cesse est, quod plurimi sentiunt, quam quod
„ unus. Si ergo singulę sectę, multarum secta
„ rum juditio stultitię convincuntur, omnes i
„ gitur vanę, atque inanes reperiuntur. (1) Hęc
Lactantius. Gregorius vero ille Sanctissimus,
cui Theologia ipsa nomen fecit, scilicet Nan-
zianzenus, Pirronis disputationes, syllogis-
mos Crisippi, pravum artium Aristotelis
artificium, Platonis eloquentię prestigia
velut Ęgiptiacas plagas quasdam in Ecle-
siam perniciosse, ac pestifere irrepsisse,

(1) De divi. instit. lib. 3. Cap. 2.

testatur. (2.)

Quapropter unam Eclecticorum Philosofiam cęteris antecellere; unam omnibus quidem, sed Theologis maximè deligendam, me arbitror confecisse, quod una omnium maxime rationi consentiat, utilitatem afferat, et securitatem. Theologum deceat, in ipsiusque Theologię servitutem, et adduci possit, et debeat „Itaque, ego sum ejus-„modi, ut nulli alii credam, nisi rationi, quę „mihi consideranti optima visa est„ quod quasi à Deo insitatus, Clemente Alexandrino teste. Plato de se ipse dicebat (1) De illis videlicet rebus loquimur, quę naturali vestigatione sciuntur. Macti ergo virtute, discipuli, estote, macti constantiá: nec ulli, qui

(2) Orat. El Moderat. in disputando (1) Lib. 1º. Acad. c. 23.

reprehendit, assentiamini. Invidere mihi plurimos scito, mordere clanculum; sed ut non me, sic nec vos id impediat, vel moretur, ut ab ea, quam omnium praestantissimam esse cognoscitis. Philosofia tenenda, et colenda deterreat. Illa semper Lucretii carmina cogitate.

Floriferis, ut apes in saltibus omnia libant,

Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.

Sic praeterea existimate magnifica illa Platonis, Democriti, Aristotelis, Epicuri, Cartesii, Gassendi, Newtoni, Leibnitii, Wolfii nomina aeri quidem non incutere posse, aures percellere, scriptas denique chartas implere: sed sententiis namque nihil gravitatis addere, nihil ponderis, nihil efficaciae.

(1) Lib. 3 de rer. nat.

Neque vero per oportuna illa Lactantiana pagtexeam, » facile est, inquit, docere pęne
» universam veritatem per philosoforum sec-
» tas esse divissam::: quod si extitisset aliquis,
» qui veritatem sparsam per singulas, et dif-
» fussam colligeret in unum, acredigeret in cor-
» pus, is profecto non dissentiret â nobis:::...
» Quare incredibilis est error illorum, qui
» cum aliquam sectam probaverint, eique
» se addixerint, cęteras damnant tanquam
» falsas, et inanes, armantque se ad prœli-
» andum, nec quid defendere debeant sci-
» entes, nec quid refutare: incursamque pas-
» sim sine delectu, omniaque afferunt, qui-
» cumque dissentiunt. Ob has eorum perti-
nacissimas contentiones nulla extitit Phi-
losofia, quę ad verum propius accederet. (1)

(1) Lib. 7. div. inst. Cap. 7.

O. dignam sapientis sententiam! cui Clementis Alexandrini illam aliam connectite, non
„Stoicam, nec Platonicam, aut Epicuream, vel
„Aristoteleam; sed quæcumque ab his recte
„te sunt dicta, quæ ipsa cum scientia justicia do-
„ceat, ea scilicet omnia collecta nomino Philoso-
„phiam. (2) Quod si quem sciendi cupidum in-
veniatis, cuinam vos Philosoforum addictos pro-
fiteamini: egregia illa Orati carmina vestrum
quisque respondeat

Anne forte roges, quo me duce, quo lare tuter.
Nullius addictus jurare in verba Magistri,
Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes.
Nunc agilis fio, et mersor civilibus undis
Virtutis veræ custos, rigidus que satelles:
Nunc in Aristipi furtim præcepta relabor,

(2) Lib. 1. stromat.

Et mihi res, non me rebus summittere conor. (1)

Nec ulla tamen ei Philosofię fiet à nobis injuria, quę Philosofi alicujus patrocinium suscipit. Tantum id contendimus, licet quibusdam vera esse videatur, procul abesse tamen ab eo viro, quem quęrimus, et quem sapientię amatorem, atque ęquum rerum omniumęstimatorem, ac judicem esse volumus; quare eos, qui à nobis dissentiunt, sine ulla contumelia dimitamus: sunt enim et probi viri, et, quoniam sibi ita videntur, veritatem adepti; tantum que ipsos velim admonitos, ut quamvis verissimam suam judicent opinionem. Eclecticos Eclecticę dogmata Philosofię docere, ac tueri ultro patiantur.

(1) Lib. Epist. 1ª Epist. à 13. v.

Nunc repugnantium argumenta Phi-
losoforum exponere, atque suam cuique responsio-
nem adhibere conemur. Quę secta, inquit ali-
quis, non sit omnium maxime rationi con-
sentanea, nec est potissimum eligenda. Ejus-
modi autem Eclectica secta est, ut omnium
maxime rationi non congruat. Non est igi-
tur ipsa omnium potissimum eligenda. Pro-
positionem cum ea perspicuę veritatis sit,
nihil atinet approbari: assumptio multis qui-
dem, gravissimisque argumentis ostenditur.
Nam, ut domus ea, quę prudentis alicujus Pa-
tris familias regitur, omnibus instructior est
rebus, et apparatior, quam ea, quę temere,
et nullo concilio administratur; exercitus
is, cui prępositus est sapiens, et calidus Im-
perator, omnibus partibus commodius re-

gitur, quam is, qui stultitia, et temeritate alicujus regitur: navis optimè cursum conficit ea, quæ scientissimo gubernatore (ę quę ferè sunt Tullii) utitur: sic eę philosoforum sectę, quibus sapientissimi præsunt philosofi, rationi magis accedunt, quam illa, quę huc, illuc nulli subjecta duci vagetur: quodsi ita est, præstat Platonicos, Aristoteleos, Cartesianos ve esse, quam Potamonicos, vel Eclecticos.

Ac nostra his potius firmatur, quam infirmatur sententia. Ecquis enim in amplissima Philosofię domo, exercitu, vel navi Paterfamilias censendus est, Imperator, aut Guvernator? An Aristoteles? an Gassendus? an hic, aut ille Philosofus? quo tandem jure id sibi Philosofus aliquis vindicat? a flatos

ne Deo fuisse dicemus; an ut homunculos multis probabilia sequutos? Sed Aristoteles designetur: Gascendistæ, ut ita dicam, pro[illegible] cendo suo contra Aristotelem debellabunt. Esto Gascendus. Cartesii sectatores reclamant. Nec Cartesius igitur, nec Newtonus, nec alius denique quisquis erit, is haberi debet, qui Philosophiæ præfici debeat: quivis enim a reliquorum sectatoribus repudiatur. Vnam ergo rationem esse relinquitur, cui Philosophiæ domus, navis, exercitusque administratio, et gubernatio deferenda esse videatur. Veritas enim in qua sita est Philosophicæ domus fælicitas, ratione quæritur, ipsaque ratione invenitur. Ratio autem, ut id quod quærit, inveniat, ratiocinationibus niti debet, sensu intimo, periclitationibus, au-

toritatibus aliquando, pro rerum scilicet, quę vestigabuntur, diversitate. Hęc ~~autem ipsa~~ tam rationi consentiunt, quam quę maxime. Hęc autem ipsa sunt Eclecticę dogmata Philosofię. Hanc ipsam igitur Philosofiam rationi maxime consentire, atque adeo eligendam potissimum esse, si quid ego sapio, confectum est.

Vrgere nihilominus adversarius ille ipse potest his verbis, aut consimilibus. Qui Platonem sese sequi, Aristotelem, aliumve Philosofum gloriantur, eos ratione veritatem inquirere, ratiocinatione uti, experientia, auctoritate. Quocirca nihil esse, cur ejusmodi sectis rationi amicitior Eclectica, cui idem accidit, habeatur. Equidem illos ego Philosofos fateor sic, ut objicitur, in ve-

ritatis inquisitione procedere, similiter et
Potamonicos, inter utrosque tamen plur
interest. Illi namque ratiocinationes, obser
tiones, pericula sui auctoritate principii
em vel semel deserere, nefas putant, et doc
na metiuntur: hanc nulla vel ratione, vel o
servatione, vel auctoritate, vel experientia
respuere parati. Hi vero cum nullius Phil
sophi doctrinam veritatis notam, characte
rem, ut si ita dixerim, tessera, vel signum
esse cognoscam; non ad eam; sed ad eviden
tiam, seu ad evidentiæ canones in his, quæ
scientiæ sunt, in historicis vero ad historiæ
leges, in reliquis tandem rebus, quæ auctori
tate nituntur, ad ipsius auctoritatis regulas,
ratiocinationes, pericula, observationes, tes
tibus perpendunt. Videte igitur, ne utrique

eamdem Philosofandi viam insistant.

Objici etiam potest, non inutile modo, sed noxium etiam nostrum esse institutum philosofandi, presertim pueris, et adolescentibus. Homo enim nullo rationis usu vitam ingreditur: infantię autem tempore aut numquam, aut perraro ratiocinatur: utitur enim sensibus, et auctoritate, quibus tantum Magistris, quidquid edocetur, sed nihil tamen amplius addiscit: et eos quidem audire potius debet, quam ad ratiocinationem, qua uti adhuc nescit, confugere: ne in errores plurimos rapiatur. Quid, quod adolescentibus, cum eorum adhuc informata sit ratio sapientissimo cuique assentiri, quam se ipsos niti, rationique suę confidere prestat? Quocirca optime nobiscum actum docet Augustinus, dum auctoritas, quem

fidem flagitat; antecedens rationi nos præparat. (1) Ex quo illud perspicuum est, quæ secta adolescentes nulli credere, sed rationi suæ fidere doceat, perniciosam eam esse, nedum inutilem. Hujusmodi autem est Eclectica, quam sic adamamus, ut ejus amore deperire videamur. Hæc igitur ipsa secta prœterquam inutilis perniciosa est.

Argumento respondeo, ejus, qui Philosophiam profitetur, esse hoc a primo discipulos edocere: comparandæ scilicet sapientiæ vias auctoritatem, sensusque esse, conscientiamque, intelligentiam, ratiocinationem: nec omnes in rebus omnibus adhibendas. Sunt enim, quæ sensibus, non intelligentia, quæ versa vice: quæ neutro, sed auctoritate discuntur. Neque

(1) Aver. Relig. Cap. 2a.

vero idem est, Adolescentes, auctoritatem despi-
cere, aut omnino deserere asuefacere; quod ip-
sis ostendere, idea sit quanti ducenda, quibus
in rebus potissimum locum habeat. Hoc etenim
sapere est, illud decipere: hoc perutile, aptissi-
mum, necessarium; illud inutile, importunum,
periculosum. Hoc Eclectici docent; illud au-
tem elati homines, inflati, arrogantes, et, ut dici
assolet, libertini.

Divinam, ne quid pretermeam, aucto-
ritatem intelligit Augustinus, quæ cum sum-
ma, cum infinita sit ratio, omnem meritò,
atque optimo jure sibi vendicat assentionem:
hæc præire rationi debet, hæc rationem illustrat,
et perficit. At humana tamen auctoritas, quos
habeat fines, nemo nescit, quanti vero facienda
sit, quò valeat in criticis me memini docuisse,

(audite quæso discipuli) prius quam ad reliqua transeo, Santissimum illum, eumdemque sapientissimum Ecclesiæ Doctorem, quem sibi favere judicant adversarii, scilicet Augustinum. „Nulli, inquit, dubium est gemino „pondere nos impelli ad adiscendum, auctoritatis, atque rationis. Mihi autem certum est, „numquam prorsus à Christi auctoritate „discedere: non enim reperio valentiorem. Pauculis autem interjectis adjunxit: „Ita „enim jam sum afectus, ut quid sit verum, „credendo non solum, sed etiam intelligendo a„prehendere impatienter desiderent. (1) Augustini autem locus, cui adversarius fidit, sic se habet: „auctoritas fidem flagitat, et „rationi præparat hominem.„ (2) Ad quod, et

(1) Lib. cont. Academ. C. 20. (2) De ver. Relig. Cap. 24.

illud accedit ejusdem: „ credimus, ut cognoscamus; non cognoscimus, ut credamus.„ Quæ sane omnia huc reddeunt, in his, quæ fidei, religionisque sunt, cum ea non ratione, sed testimonio nitantur, auctoritatem rationi præire: sed in rebus apertissimis verbis, ac testibus utimur minime necessariis. Ipsam certe Eclecticorum sectam suis Augustinus verbis expressisse cognoscimus.

Alius ad extremum concludat hoc modo: prestat nobis eam philosofandi viam insistere, quæ ut non tot, quot alia detegat veritatem, sit tamen illa securior; ut autem Aristotelis, Cartesiive philosofandi ratio pauciores Eclectica detegat veritates; est tamen Eclectica ipsa securior. Prestat igitur nobis, quamlibet aliam, quam Eclecticam

philosofandi viam tenere. Assumptio autem approbet hocce pacto: ut sectę illę pauciora detegant; non tamen philosofandi libertatem inducunt, quam Eclectica secum affert. Quę autem secta libertatem ejusmodi non inducit, eā, quę illam ipsam secum affert, securior profecto est. Ut ergo Aristotelis, Cartesii, cęterę demum prętor Eclecticam sectę pauciores detegant veritates; Eclectica ipsa securiores re vera sunt. Propositionis perspicuitas major est, quam ut aprobationem ejus adhiberi sit opus. Assumptionem autem quisnam modo sani sit homo sincipitis, in dubium audeat revocare? Quot enim errores Deus bone! quot deliramenta! quot vitia! quot hęreses, quantam opinionum, et morum perversitatem

pestifera philosofandi libertas cum omni, tum nostra præcipue memoria progenuit! Quod quidem ita esse innumerabiles ego nationes, Angliam nominatim testificor: quinimo testes hanc in rem ab inferis, si quando opus esset, ac fieri posset locupletissimos excitarem. Esse igitur sectam, qua ejusmodi libertas inducitur, periculosam, atque adeo inimicam securitati, ita perspicuum est, ut id qui diffiteatur, vix eum sanæ mentis existimem. Sic se habet Eclectica; secus reliquæ. Eæ igitur quam illa securiores esse necesse est.

Sed quis est tamen proh Dei fidem atque hominum! qui Eclecticæ Philosofiæ decreta cognoscens, eam sic rodere, atque vellicare constituat? Ecquam qui sic conjicit, intelligit li-

bertatem? Multis enim variisque modis phi
losofandi libertas accipitur; an quę Deo
in omnibus, in quibusdam tantum homini
bus credendum statuit, ea pestiferę liber
tatis nomen obtineat? quid SS. Eclesię
Patrum in rebus naturalis rationis sub-
jectis; non ne tanti habetur auctoritas,
quanti eorum ipsorum rationes; nec plu
ris ducendam Doctores ad unum omnes
existimant? quid, quęso Discipuli? quid
Platones ad Augustinos, Aristoteles ad
Gregorios? Ad Hieronimos Epicuri? Ad
reliquos Eclesię doctores reliquarum duces
philosofię sectatorum? Si ergo tot, tantorumq;
taliumque virorum auctoritates, ex ip
sorum tantum rationibus ęstimantur,
quid ni hoc ipsum hujus, illiusvè Philoso-

si auctoritati contingat? Hanc itaque, quæ suos rebus singulis fines constituit, perutilem, e contra, necessariam libertatem habet. Hanc Eclecticorum docet Philosoforum secta. Hanc vos, ut exoretis, quæ ratis, inventam retineatis, adhortor. At licenciam vero illam, quæ rationi omnibus in rebus tribuat principatum: quæ Divinæ auctoritati defidere, ac Philosoforum examine nullo, improbare sententias, ipsos vè Philosofos contemnere doceat; tanquam impiam, sacrilegam, intolerandam, perditissimorum hominum temeritatem detestemini. Sed quoniam est satis, ut videtur, deligenda philosofandi via diximus; et hujus quæstionis magnitudo longius processit; quæ sequuntur deinceps, brebiter disseramus.

CAPUT. 2.^M.

ATQUE IN SCIENTIIS TRACTANDIS, IMÒ IN ORATIONE QUAVIS, AUT LOCUTIONE CAVENDAM, QUOAD ESSE POSSIT, ET LICEAT PUTO BARBARIEM, SERMONISQUE VITIUM QUODLIBET; NECNON GERMANAE ELOQUENTIAE RATIONEM HABENDAM.

Etsi vobis omnia suppetunt, quę de recto dicendi genere consequi ingenio, ac usu, Adolescentes, aut eruditione, diligentiaque Gramaticorum, et Rethorum possunt; tamen ab amore in vos meo non sum ratus alienum ea vobis ostendere, quę mihi veniebant in mentem, dies noctesque de profectu vestri omnium cogitanti: non ut aliquid novi huic loco adjicerem, sed, et ut ea, quę inre dispersa esse, infinitaque viderentur; bri-

bioni ratione sub uno haberetis aspectu; nec dis-
sentientium, atque repugnantium clamoribus
territos, citò vos Grammaticę, ac Rethoricę oblivio
indigna planè Philosofis caperet. Horum enim
cum omnium, tum maxime Philosoforum inte-
rest, aptè omnia verbis exprimere; atque de
auctorum stylo variorum exactum, consultum
que ferre juditium. Ac philosofiá quidem multis
usque Adam fere ętatem sęculis jacuit; nec ullum
literarum lumen habuit latinarum: quam nuper,
aut certè non ita pridem docti viri aliqui, ac erudi-
ti excitandam, illustrandamq. suscipientes: et no-
va invenere multa, et vetera, quę à nostro conspectu
obliturerant, detexere: et omnia, inveterata barba-
rie relicta, latinè, planè, ornatè, aptè, congruen-
terq. tradere conati sunt, nec alius modi tradere
oportere, censuerunt. In quo eò magis laborandum

est nobis, qd innumeri latini libri reperiunt. scripti vitiosè, horridè, ac ineleganter à b optimis illis quidem viris, sed aut non satis eruditis, aut eruditionem, nescio quare, penitus repudiantibus: in quos, si quando vobis, ut incidatis, contingat, quamvis delectatione lectorem allicere valeant nulla; verendum tam. est, nè scientię aviditate ducti, à consiliis autem, ac monitis imparati, dum eos volvitis, sermonem sensim vestrum peregrinarum vocum maculis aspergatis.

Ego autem, qui, sicut omnes sciunt, in Academicis disputationibus, scriptis q. omnib. ita versor, ut ejusdem ętatis aut nemo, aut pauci aptę dictionis studiosiores fuerint; et qui omne tempus, qd mihi per multos annos à puerorum educatione dabatur, in his studiis, laboribus q. consumpserim, quo paratior ad usum Academicum, et promptior essem; tamen qd sentio, id vere, mihi credite, patefacio, neque quę literis mandaverim, aut in concionibus literariis dixerim, ea, et eruditorum lectione, auditione vè digna umquam existimavi; nec nunc hujus instituti laboris adversarios, obtrectatores que arbitror defuturos.

defuturos. Est enim quoddam Philosophorum genus, et theologorum, qui non modò, quemadmodum disserant, non laborent; verum etiam se neque purè, seu emmendatè, neque ornatè scribere, aut dicere profiteantur: quos non contemno equidem, ac nec imitari volo, nec imitandos imo hac in re devitandos, et fugiendos existimo. Nec vero sum inscius mihi, ut horum putant, ni fallor, multi, nec in philosophis, nec in theologis, nec nisi in grammaticis, aut grammatistis potius locum esse. Quanti me ipsi faciant, scio: quod etiam de codicibus judicent meis, quos alii absurde et inusitatè, alii obscurè, et ineptè, alii inscitè, atque inutiliter scriptos non jam innuunt modo, sed clamant. Quam eos

denique nostrorum miserear auditorum, quos non velut ad scientiarum domum, erudiendos ad Academiam confluere putant; sed tanquam ad locum quemdam nugis, ac nenus destinatum, oleum, et operam perdituros. Hæc mihi inquam per nota: non enim ego hospes in hac urbe versor, nec sic aures peregrinantur meæ, ut non in hoc pervagato civitatis rumore, versentur: quare mea jam ipse mente perspicio, quæ de hac nostra oratiuncula sententia sit ipsorum futura.

Quid ergo, Auditores? silere ne idcirco inter convicia illa literas patiar, studiumque nostrum obmutescere? minime gentium. Ego enim semper existimavi cum omnes, tum maxime præcep-

tores pro virili quemque parte devinctos esse Reipublicę: nec ulli hominum licere, ne invidiam subeat aliquorum, vel quod sibi multos videat obtrectare, ab officio discedere. Quocirca nihil ea ipse pensi habens; me ad meum munus, pensumque propositum revoco; illud, ut orsus eram, peracturus. Quoniam autem omnium optimam, ut ego quidem arbitror, philosofandi viam, â qua certum mihi est, digitum nusquam ostendi; id jam porrò, quod proximum est, patefacio, de stylo videlicet, seu ratione, ac forma dicendi, quid sentiam. Atque in scientiis tractandis, imo in oratione quavis, aut locutione cavendam; quoad esse possit, et liceat, puto barbariem, ser-

monis que vitium quodlibet; nec non germanę elocuentię rationem habendam: huic sanè rei mirum est, quot, quanta, qualia que faveant argumenta tum à ratione, tum ab auctoritate suppeditata.

Nam ut à ratione capiamus exordium, quid magis prętor ipsam esse potest, vel potius cum ea ipsa pugnatius, quam cujus Latino, Hispano, Gallico, Ytalo, alio ve sermone quidpiam dicere intersit; cum nec latinè loqui scientem, nec hispanè, nec galicè modò, imo inania fundere, nullius que linguę vocabula; modò antiqua nimis, et obsoleta; modò impropria, modò abjecta, modò perrara? Sua linguę cuique sunt verba, suus cuique caracter, suę, ut grecè dicitur,

phrases; à quibus aberrans, non is quidem sermocinari, non colloqui, non explanare, vel disputare; sed sonare, garrire, seu instar ejus, qui cimbala, aut crotala, vel crepitacula quævis alia, arte prorsus nulla pulsaret, obstrepere auditoribus est dicendus.

Quid, quod, si cuilibet vocabulis uti liceat, formulisque dicendi quibuslibet; lingua omnis vetus intereat? Tot sint pene quotidie linguæ, quot capita? Nemo loquentis cogitationem alterius assequatur? Tempus in linguarum studio positum, teratur, dataque in id opera omnis, et labor inutilis? grammatica, seu pure, ac emendatè loquendi, scribendique ars, supervacanea habeatur? Nulla jam nunc esse valeat ver-

borum praba conjunctio, nulla peregrinitas, aut barbaries, vox nulla ibrida, inepta, obsoleta, vel rara? Nullus pronunciationis error, vel scriptionis, nullum in oratione obscuritatis vitium, inanitatis, rusticitatis; aut sint quidem omnia, sed, quod est adhuc deterius, liceant? Purus autem sermo, concinnus, ornatus, et congruens, ut ineptię pęnè, aut omnino potius aniles, pellendus? Nihil prorsus intersit, quo quęque modo, et ratione dicantur, magnificè, mediocriter, aut tenuiter; vel frigidè, seu tumide, inęqualiter, siccè? Nihil pariter referat, utrum atticè dicamus, an more laconum, asianorum, vel rhodiorum: philosofico ne utamur stylo, aristorico, vel oratorio, civili, poetico;

dialogico, ut ajunt, aut epistolico: qui nimo in omnia aptè, omnia discrimine nullo quadrare; putandum. Videte, quęso, discipuli, ne istec cum ratione consentiant? Ego etenim ut de me ipse loquar, ea non mentis compotis esse puto sententias; non senis tantum decrepiti alicujus, vel anus nugę, vel somnia; sed à mentis, et rationis omnis expertis extramodum inepta, stulta, absana, et delíria. Ratio enim cunctis decernit, ut ordinem, ut proportionem, ut decorem, ut congruentiam in omnibus, et dictis, et factis observent. Quare, quę his quidem adversa sint, ut superiora sunt illa, procul absunt à decreto rationis.

Quid autem de damno adjiciam

illo, quod adolescentium instituto sub inculto Philosophiç, Theologiç ve Professore facit, non intolerabili modo, verum etiam irreparabili? Nam ubi in latinç grammaticç studio duos, tresve omnino annos adolescentulis operam locavere, statim vertendi aliqua nulla dicendi exercitatione habita, omnisque politioris humanitatis expertes, gymnatijs Philologiç relictis, ad scholas convolant Philosoficas. Jam si eos hic doctores infans illa, et inexcercitata turba nanciscitur, qui aut nec latine sciant loqui, nec vertere: aut quod evenire pene non potest, sciant quidem, aut nolint, aut negligant: barbarum, incomptum, insuetum, rediculum denique ser-

monem addiscens, pauca, quæ secum attulerat, recte interpretandi, atque caste, et polite loquendi præcepta dedicit. Ex hoc autem fonte quot fluant auditores, mala, cognoscite. Ejusmodi enim adolescentibus (nec id in adolescentia tantum ipsorum, sed, in juventute; ac senectute contingit) peregrina videtur, inportuna, et inepta. Latinitas, eloquens autem disceptator quivis, ac elegans, garrulus. Quibus in libris quidpiam ex Cicerone, ex Cæsare, ex Nepote, ex Livio, ex Sagustio, ex Velejo, ex Celso, ex Curtio, ex Suetonio, et his affinibus oleat, eos non aliter certe aspiciunt, atque arabico sermone conscriptos. Quare Lactantius illis tenebræ sunt, Cyprianus, Leo, Ambrosius, Hie-

ronimus, Augustinus: Canus etiam, Hamellius, Genuensis, Muretus, Oliverius, Perpinianus: ne multis omnes, excepto nemine, munditię alicujus, et concinnitatis auctores.

Existat pręterea quęstio de scriptis Oratoris cujuspiam, Philosofi, vel Historici: sitque judicium de librorum natura, argumento, partitione, ordine, ac stylo ferendum; qua profecto exercitatione nihil est prorsus ad eruditionem utilius. Existit? bene quidem habet, existat: natio atamen hominum illa elinguis, et muta silentium. Deinde eorum cuivis de re aliqua, quę sit illa cumque, oratio committatur. Nihil ibi exordio, nihil propositioni, divissioneve si-

mile, nihil, quod confirmatio, confutatio, epilogus vè dici jure valeat, reperiatur, nihil ad docendum, nihil ad delectandum, nihil ad permovendum accomodatum: quorum primum debitum est, honorarium alterum, tertium necessarium: pure, ac emendate scripta vel nulla omnino, vel rara, eaque allata fortuito: nec verborum seu propriorum, seu translatorum, nec sententiarum delectus: collocatio vocum structurave, comprehensionem quadam, et ambitum, et numerum, et lenitatem efficiens, nulla: stylus tumidus, inflatus, aut insulsus, frigidus, puerilis, vel inusitatus, exilis, obscurus, inanis, jejunus: denique nihil ibidem grave, nihil vehemens, nihil splendidum, nihil elegans,

nihil floridum, nihil perspicuum, nihil pulchrum, nihil concinnum, nihil venustum, nihil ad summam, quod non ab auribus eruditorum abhorreat. Quę quidem mecum ipse considerans, Doctores illos reperio, quasi natos ad interitum, exitiumque eruditionis, atque scientiarum.

Idego denique ab adversariis quęrerem libentissimè, num qua posset disciplina, ars, vel scientia tractari; num quę disputatio institui; num qua oratio haberi, vel collocutio: quin duo hęc res, et verba concurrant. Nullam prorsus si quęstio illa existeret, responderent: homini namque ê corpore, ac mente conflato, Deus ideo vim loquendi concessit, ut ejus cogitationes, ut sua de rebus judicia, prout oporteret, cerneret, patefaceret.

Quoniam autem mens errare judicans, potest; resque obscurè, permixte, dubie, atque falsè cognoscere; illa ab omnibus perutilis disciplina censetur, quę de perspicuitate, distinctione, veritate, atque firmitate cogitationum pręcepta suppeditat: quod nobis, vel ipsi, qui de sermone dissentiunt, assentiuntur. Jam cum disputatio, aut scientię tractatio sine vocibus possit nulla constare: cum ea, quę rectè, ac planè sunt cognita, vitiose proferri sępe contingat: cùm quę verè, quę justè, ac probè tenentur, sic exponi oporteat, ut ab auditoribus, et excipiatur, libenter, et facile, ac commode percipiatur: nescio sanè cur aptè, congruenterque loquendi pręscripta, sine quibus obsunt prorsus colloquia, quam prosint, illi ipsi homines audeant impro-

bare. An quod mens corpori prestat, et vocibus cogitata; atque vitia sermonis minora cogitationis majoribus obscurentur? Sed ut vulneribus, ut morbis, corporis omnibus mederi suasione, imo jussu naturę, debemus: sic ineptę, sic barbarę, obscurę, abjectę, incultęque locutioni. Sermonis enim vitia etsi cum mentis errore collata tenuia dici possunt; vitia sunt tamen, quę idcirco emendationis, et correctionis indigeant. Ergo hic quidem apparet, non sic à nobis res esse in scientiis, in disceptationibus, controversiis, orationibus tandem quibuslibet respiciendas; ut verborum, aptique sermonis obliti, rationem, ac modum, quo explanari quidque oporteat, et deceat, despiciamus. Decora-

tur enim oratio opportunitate verborum; atque tota in eo est ratio, ut eorum semper ab omnibus in cunctis ubique servetur.

Sed age rationem auctoritate firmemus: quę tot auctorum testimoniis nititur, ut ad rem, quam tueor, conficiendam, desiderari nihil, puto, amplius possit. Atque ut eo, quem cupimus ordine fluat oratio, primum Divina, post Religiossa, tum Profana adhibebimus testimonia, quo, et elocuentiam, non vanam, inquam, et puerilem, sed solidam, et sinceram, quam non nulli, quibus est ignota vituperarunt, laudabilem esse constet, per utilem, expetendam, et ipsam in libris non humanis modo, philosoficis, levibus; sed Theologicis, sed gravissimis, sed Deo

afflante ipso, et dictante conscriptis, inesse. Et quę sint denique verę, probę que elocuentię de singulorum argumentorum tractatione, ac explanatione prescripta.

In primis igitur, ut par est, oracula instinctu Divino, afflatuque fussa, ponantur. „Eruditus in verbis, ait in proverbiis Salomon, „reperiet bona. Qui sapiens est corde, ap„pellabitur prudens: et qui dulcis eloquio ma„jora percipiet. Fons vitę eruditio possiden„tis; doctrina stultorum fatuitas. Cor sapi„entis erudiet os ejus, et labiis ejus addet gra„tiam. Fabus mellis composita verba: dulce„do animę sanitas ossium„ (1.) En Regum, en hominum omnium sapientissimus: quid ego Regem dico? quid hominem? en Deus

(1). C. 16. ā v. 20.

scientiarum, Dominus eloquentiam exquisitissimis verbis laudans, discertissimum quemque modo sapientem, eo multo praestabiliorem esse pronunciat, cui sapientia quidem, doctrinave sit, at insuavis tamen, et inelegans sermo. Eloquenti vera, magna, multaque bona Deus pollicetur. Sapienti dandam quidem laudi, ait, esse sapientiam, eosque ipsos prudentiæ gratia nominandos: atqui sapientiæ eloquentiam conjunxere, hos splendoris, commendationis, et gloriæ mansurum: ut non prudentes solum, verum etiam prudentiæ, quam aptè, jucundè, ac dulciter alios docent, Magistri ab omnibus habeantur, et appellentur. Verba tandem sapientia, et elegantia referta instar fabi esse docet, melle fluentis,

qui, et suavis gustui est, et corpori salutaris: idcirco quia tum animum jucunditate deliniunt; tum atenuatas, et imminutas corporis vires recreant, et reficiunt. Ex quo intelligitur sapientis sermonem dulcem, atque suavem, et, ut ita dicam, mellitum esse oportere. Talis certe barbara non est locutio, sed pura; non permixta, sed ordinata; non obscura, non implicata, sed perspicua, sed facilis; non dura denique, aut rustica, aut tetrica, aut infaceta; sed lenis, sed urbana, sed hilaris, sed sale affluens, facetiis, ac lepore: ut præcipit Apostolus Colossensibus; „ sermonem, docens, semper in gratia esse debere, sale conditum. (2)

Ac in libris quidem ipsis, quos, Deo

(2) Cap. 4. v. 6.

dictante, sancti ejus homines conscripsere, qui non virtutes omnes, qui non lumina, et ornamenta dicendi, qui non veræ, germanæque elocuentiæ solidam, et expressam effigiem deprehendat: is non lipitudine tantum, sed cæcitate laboret, necesse est. Liceat per vos, quæso, discipuli, locos afferre non nullos, ne cui temere videar possuise; nam illa Jacobi considerate: „numquid præbebis equo „fortitudinem, aut circumdabis collo ejus „hinnitum? numquid suscitabis eum, qua„si locustas? gloria narium ejus terror. Ter„ram ungula fodit: exultat audacter: in „occursum pergit armatis; contemnit pa„vorem, nec cedit gladio. Super ipsum sona„bit pharetra, vibrabit hasta, et clypeus. = „Fervens, et fremens sorbet terram, nec re-

„putat tubę sonare clangorem. Ubi audierit buc-
„cinam dicit: vah! procul odoratur bellum, ex-
„hortationem ducum, ululatum exercitus.
(3) Illa etiam Isaię: „audite cęli, et auribus
„percipe terra, quoniam Dominus locutus
„est; filios enutrivi, et exaltavi; ipsi autem
„spreverunt me. Cognovit bos possesorem
„suum, et asinus pręsepe Domini sui; Is-
„rael autem me non cognovit; et populus
„meus non intellexit. Ve genti peccatrici,
„populo gravi iniquitate, semini nequam,
„filiis sceleratis. Dereliquerunt Domi-
„num, blasfemaverunt sanctum Israel, abo-
„lienati sunt retrorsum. (4) Ejusdem quoque
Vatis sunt illa: „consurge, induere fortitu-
„dine tua, Sion, induere vestimentis glorię

(3) C. 39. à V. 19. (4) C. 1. à V. 2.

„tuę, Jerusalem, Civitas sancti, quia non ad-
„jiciet ultra, ut pertranseat perte incircum-
„cisus, et immundus. Excutere de pulvere,
„consurge; sede, Jerusalem, solve vincula col-
„li tui, captiva filia Sion. (1) Ipsius item illa
alia, quę tertio capite â sexto decimo versu
ex luxu, in quem Israelitides feminę es-
sent, habentur; quamvis perpulchra, quod
et sint permulta, prętereo: at vobis, ut ea,
cum vacet, legatis, non suassor modo, sed
auctor sum. Ejusdem; sed quo mea pergit
oratio? „Quidquid de phisica, Ethica, et
„Theologia; quidquid sacrarum scripturarum,
„quidquid potest humana lingua proferre,
„et mortalium sensus accipere, hoc, auctore
„Hieronimo, volumine continetur. (2) =

(1) Cap. 52. â v. 1. (2) Pręfat. in Isaiam.

Scriptorum denique neve græcus, neve latinus, ut inter doctos constat prorsus omnes, est ullus, qui sit cum Isaia quovis sermonis genere conferendus.

Sed Paulum addite: „gloriamur, inquit, in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem: probatio vero spem; spes „autem non confundit: quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum „Sanctum, qui datus est nobis. (1) Illis jam porro ejusdem, quid divinius? „Quoniam multi gloriantur secundum carnem, et ego gloriabor, libenter enim „suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim, si quis vos in ser-

(1) Ad Rom. Cap. 5. v. 3.

» virtutem redigit; si quis devorat; si quis ac-
» cipit; si quis extollitur; si quis in faciem
» vos cędit. Secundum ignobilitatem dico,
» quasi nos infirmi fuerimus in hac parte.
» In quo quis audet in insipientia dico, audeo
» et ego: israelitę sunt: et ego: semen Abrahę
» sunt; et ego: ministri Christi sunt; (ut mi-
» nus sapiens dico) plus ego. In laboribus plu-
» rimis, in carceribus abundantius, in pla-
» gis supra modum, in mortibus frequen-
» ter. A Judeis quinquies quadragenas,
» una minus accepi. Ter virgis cęsus sum;
» semel lapidatus sum, ter naufragium
» feci, nocte, et die in profundo maris fui:
» in itineribus sępe periculis fluminum,
» periculis latronum, periculis ex genti-
» bus, periculis in civitate, periculis in soli-

„tudine, periculis in mari, periculis in falsis
„fratribus; in labore, et erumna, in vigiliis
„multis, in fame, et siti, in jejuniis multis, in
„frigore, et nuditate: pręter illa, quę extrin-
„secus sunt, instantia mea quotidiana, so-
„licitudo omnium Ecclesiarum. Quis infir-
„matur, et ego non infirmor? quis scanda-
„lizatur, et ego non uror? (1) Illa denique,
ne multis, Iudę in impios verba subjicio:
„hi sunt in epulis suis maculę consivantes,
„sine timore semetipsos pascentes; nubes
„sine aqua, quę à ventis circumferuntur;
„arbores autumnales infructuosę, bis
„mortuę, fluctus feri maris; despumantes
„suas confusiones; sydera errantia, quibus
„procella tenebrarum servata est in ęternum.(2)

(1) Ad Corinth. 2. c. 11. à v. 18. (2) Cap. 1.° à v. 12.

Verum hæc quidem quoad Divinarum elegantiam attinet literarum, me sufficiat atulisse: omnia enim persequi, longum esset. et ea sane ipsa, quę narrata relinquimus quam ampla, et sententiarum gravitate sint dicta, et majestate verborum: quanto, ut Augustinus loquitur, „elocuentię cu-„currerint flumine, et qui stetit, advertit (1) Multa enim   dicta reperiuntur, multa membratim; cadentia scilicet omnia, vel aptissimè. Multę verborum constructiones tum conjunctionibus vinctę, tum dissoluti-onibus relaxatę) Ambitus prętera vocum, sive circuitus, quos græci appellant peryodos, modo in duobus, modo in tribus, modo in quatuor membris inclusi, numerosis il-

(1) De Doct. Christ. Lib. 4. Cap. 7.

lis quidem lenibus, et suavibus. Repetitiones tandem, conversiones, conduplicationes, interrogationes, gradationes translationes, descriptiones, exclamationes. Itaque id ego hic eodem cum Augustino concludo: Divinorum auctores librorum non sapientes solum, sed etiam eloquentes esse dicendos, imo nihil vel illis sapientius inveniri, vel eloquentius posse: quod in quarto de Doctrina libro fuse, ac late disputans, conficit.

Sed à Divinis ad Religiosa veniens testimonia Doctorum Ecclesiæ Sanctorum de puro, nitidoque sermone judicium expromam: è quibus ne extra modum excudat oratio, paucos addam, at egregiæ tamen præter vitæ sanctitatem, eruditionis, ac eloquentiæ,

Gregorium, Ambrosium, Augustinum.
Gregorius ergo ille, qui unus post Evangelistam Joannem Theologi nomen adeptus est, primum Sasimorum, deinde Nasianzenus Antistes; cujus, ut Rufinus eloquitur, neque vita aliquid probabilius, et sanctius; neque eloquentia clarius, et illustrius, neque fide purius, et rectius; neq. scientia plenius, et perfectius inveniri potest: is, inquam, prima in Julianum Imperatorem oratione dicendi facultatem docet, ut improbis, flagitiosis que hominibus ad vitia stimulos admovet; sic probis, ac bene moratis subsidia, et arma in vitiositatem pro virtute, atque honestate porrigere. Deinde Ambrosius Mediolanensis Episcopus de ratione dicendi pri-

primo officiorum libro, vigesimo secundo capite disserens: „oratio, inquit, sit pura, sim„plex, dilucida, atque manifesta, plena gra„vitatis, et ponderis, non afectata elegantia,
„ sed non immissa gratia.„ Tum Augustinus, Hipponensis Antistes, cujus ego laudes, ut Ambrosii prætermito notissimas, alias„ sapientiæ inseparabilem famulam
„ eloquentiam vocat: (1) alias„ sic ornatum
„ perspicuitatis ergo detrahendum, præci„ pit, ut sordes sermo non contrahat: (2) ali„ as eloquentiam facultatem docet, esse di„ cendi, sententias congruenter explican„ di, qua utendum nobis sit cum recta sen„ timus: (3) alias ut utilia vel inutilia ea
„ fuerint, quæ dicentur: sic eloquentiam uti

(1) Doct. Christ. lib. 4. c. 6. (2.) Ibid. Cap. 10. (3) contr. Cres. gram. lib. 1. c. 10.

„lem, inutilemve futuram: (1) alias non id-
„circo eloquentiam accusandam, quod ea
„multi abutantur ad vitium: cum non prop-
„terea non sit pro patria miles amandus,
„quia contra patriam non nulli arma
„sumpserunt: nec ideo uti non debent boni,
„doctique medici ferramentis medicinali-
„bus ad salutem, quia his ad perniciem
„etiam indocti, pessimique abutuntur: (2)
„alias postquam quid à disputatore dictor
„interesit, aut retor explanat; sive sit, in-
„quit, dictor, sive disputator, nec dictio sine
„disputatione est, cum et in ipsa eloquentiæ
„latitudine veritas à falsitate discernitur;
„nec disputatio esse potest sine dictione, qu-
„ando utique verbis, et lingua ipsa constu-

(1) ibidem. (2) ibidem.

„tio sermonis exprimitur. (3)

„Alias insuper eloquendi artem co-
„mendans, nam cùm per artem, inquit, Re-
„thoricam, et vera suadeantur, et falsa; quis
„audeat dicere adversus mendacium in de-
„fensoribus suis inermem debere consistere
„veritatem: ut videlicet illi, qui res falsas
„persuadere conantur, noverint audito-
„rem vel benevolum, vel intentum, vel
„docilem proemio facere, isti autem non
„noverint? Illi falsa breviter, aperte, veri-
„similiter; et isti si vera sic narrent: ut au-
„dire tędeat, intelligere non pateat, crede-
„re postremò non libeat? Illi falacibus ar-
„gumentis veritatem oppugnent, asserant
„falsitatem: isti nec vera defendere, nec fal-

(3) Ibidem. Cap. 16.

»sa valeāt refutare? Illi animos audientium
»in errorem moventes, impellentesque dicen-
»do terreant, contristent, exhilarent, exhor-
»dentur; isti pro veritate lenti, frigidique
»dormitent? Quis ita decipiat, ut hoc sapiat?
»cum ergo sit in medio posita facultas elo-
»quii, quę ad persuadenda seu prava, seu
»recta valeat plurimum, cur non bonorum
»studio comparatur, ut militet veritati:
»si eam mali ad obtinendas perversas, va-
»nas que causas in usus iniquitatis, et erro-
»ris usurpant? (1) Ad extremum, ne om-
nes Augustini codices transcribamus, quę-
cumque sunt de arte dicendi observatio-
nes, atque pręcepta suposito congruo tem-
poris spatio, apta, et convenienti ętate, a-

(1) De Doctr. Christ. Lib. 4. Cap. 2.

dolescentia videlicet, discenda, praescribit.

Neque vero discrepant ipsorum facta, hoc est, scripta cum dictis. De horum enim, reliquorumque Patrum sive in concionibus, sive in controversiis, sive in historiis, interpretationibus, epistolis elegantia nisi temporis angustiae prohiberent, multa subnecterem: quae libens nihilominus, quod ea satis pateat veritas, praetermittimus. Nam quid de Gregorio amplius Nazianzeno, Ambrosio, vel Augustino opus est dicere? Quid de Basilio Caesariensi. Niceno etiam Gregorio, Chrisostomo, vel Hieronimo? Breviexpediam. Nemo eruditorum unus existat, quin pro argumentorum varietate modo Grandiloquos eos esse, varios, graves, copiososque fateatur; modo contra tenues, acutos res ita dicentes, ut

dilucidiores eas faciant, non ampliores, subtili quadam, pressa que oratione limatos: modo inter medium quemdam in dicendo, et quasi temperatum adhibere tenorem, nec porteriore acumine utentem, ~~nec~~ fulmine superiore utrique vicinum, in neutro excellente, utriusque participem, aut potius expertem. Atque cum de Divinis, sanctisque, ac religiosis doctoribus disseruerimus; transeamus ad reliquos.

Constat autem ex Tullio dissertum fuisse Socratem, ac eloquentem; dulcem praeterea, facetum, festivique sermonis (1) De Platone nihil profecto attinet disseri. Nam et ubertas ejus in dicendo nitor, et elegantia Tullianis paginis fere omnibus celebratur;

(1) 1.º Offic. Lib. n. 151.

et eloquentiam philosoforum fuisse convenit inter omnes. Quid quod una omnium hæc, auctore ipso Cicerone, Philosoforum vox erat: Jovem, si græce loqueretur, non aliter certe, ac Plato verba faceret, locuturum? (2) Aristotelem autem quis pleroxumque volvens scholasticorum horrida, et inculta volumina, pure, ac splendide disseruisse putaret; atque eam Peripateticorum consuetudinem fuisse, quam Tullius memorat, (3) ut disserendi rationem cum suavitate dicendi, et copia conjungeret? Illo nihil vel acutius, vel politius esset; (4) Adolescentes prudentiam cum eloquentia conjungere docuisse, (5) ipsius de moribus, de institutis, disciplinis, ac legibus, de summo bono, deque republica illustrem esse, ac

(2) In Brut. n.º 62. (3) in Brut. n.º 61, et 62. (4) Acad.

splendidam orationem. (6) Magnum denique in Peripateticorum disciplina ornatum, elegantiamque reperiri. Marcus ipse Tullius testis est. (7.) Quo magis admiror à munditia sermonis, et elegantia Scholasticos, quibus unus instar omnium est Aristoteles, abhorrere. Ciceronis præterea judicium videamus. At quem virum auditores! pauci cum illo historiæ notitia, Philosofia paucissimi, juris scientia pauciores, eloquentia nullus est penitus conferendus: multos enim cum veteres cognovimus, tum recentes non inelegantes, sed nihil ad Tullium. Quid jam vero? Nam se, inquit, perfectam philosofiam semper judicasse, quæ de majimis quæstionibus copiose posset, ornatè que dicere; fieri autem posse, ut rectè

Qq.m Lib. 2. n.º 132. (5) Tusc. qq. lib. 1.º n.º 5. (6) Lib. 5. de

quis sentiat, et id, quod sentit, pollite eloqui non possit, sed mandare quemquam literis cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis esse, intemperanter abutentis et otio, et literis. Scripta ejus aurea omnia cum Philosofica, tum Rethorica, munditia, nitore, concinnitate, varietate, copia, gravitate, leporibus, facetiis, salibus redundantia.

Huic accedit Celsus ille Cornelius, qui Tiberio Principe, floruit, quique Quintiliano auctore, non de jure solum, rethorica, et historia scripsit ornatè: sed rei quoque Militaris, et rusticę, et medicę non sine cultu, ac nitore pręcepta reliquit. (8) Quam-

de finib. bon. et mal. n. 9, 10, 11. (7) in Oratore N. 76, et alias.

quam quę ejus fuerit sermonis integritas, et ornatus, ex octo aureolis de Medicina libellis, qui tantum extant, omniumque manibus atteruntur, intelligi licet. Is porro et ob styli pręstantiam ab eruditis Medicus Cicero, et ob Medicę Artis peritiam Latinus Hypocrates appellatur. Junii etiam, Moderati Columelę de Agricultura libris seu quos oratione ipse soluta, seu quos versibus exaravit, quid castius, nitidius, et incorruptius? Nec vero Seneca, nec Quintilianus, nec Gellius contemnendus: qui imo postremi dubio procul locutentissimi. Sed de Paganis hactenus: veniamus ad nostros, e quibus memorem celeberrimos.

Quod enim Melchioris illius Cani,

(8) Inst. orat. lib. 12. c. ult. et lib. 10. cap. 2.

Dominicanę, ut ita dicam, nobilitatis post Doctorem Angelicum principis ingenio, eruditioni, ac eloquentię par queat elogium reperiri? Quis illo in Sacris litteris exercitatior? Quis peritior in Patribus? Quis conciliis seu generalibus, seu provincialibus assuetior? Quis a jure, a Philosofia, ab Historia, a Critica instructior? Quis Theologię doctior universę? Quis pręterea in confirmanda, vindicandaque veritate gravior? Quis in erroribus confutandis valentior? Quis in docendo, ac disserendo subtilior? Quis tandem aut in verbis integrior, aut in stylo pulchrior, aut in rebus uberior, aut in varietate floridior, aut in digressionibus opportunior: aut in sale festivior, aut in structura lenior, aut in circuitibus verborum, et quasi orbi-

bus numero sior?,, Ejus certe de locis theolo-
"gicis opus, ut dissexit Contensonius, quisquis
"serio, et atente legerit, ultro fatebitur, vix
"ullum hactenus librum, aut copia ditiorem,
"aut methodo commodiorem, aut varietate
"feratiorem, aut oratione cultiorem, aut re-
"rum omnium digestu illustriorem (solis
"exceptis Eclesię Patribus) post hominum
"memoriam prodiisse. (1) Hujus igitur tan-
ti viri quęnam esset de sermonis cultu sen-
tentia in secundi libri prę fatione ipse ape-
riens „ flumen, inquit, nobis innanium ver-
"borum displicet, quibus sententia deest; nec
"sententiarum subtilitate capimur, si orati-
"onis est siccitas. Scilicet ex Tullio didice-
"rat Canus, neque infantiam ejus, qui rem

(1) Lib. 5. dissert. Theologię preambula.

„ rorit, sed eam explicare dicendo non queat;
„ neque inscitiam ejus, cui res non suppetit,
„ verba non desunt, esse laudandum. (1)

Addite huic Catecismi Romani purissi-
ma latinitate constantis auctorem Paulum
scilicet Manucium, addite Ludovicum An-
tonium Muratorium, æternum Italiæ
decus, et laudem. Addite Julium Lauren-
tium Selvagium, Scipionem Mafejum,
Ludovicum Vincentium Gotti, Carolum
Du-pessis, Joannem Baptistam Du-ha-
mel, Antonium Genuensem: quos, etsi
profani dici nequeunt, quippe quod theologi-
ca scripserint; tamen ne cum Patribus, à
quorum choro longe absunt, misceremus,
huic loco reservandos putavimus. Ac ij quidem

(1) De orat. lib. 3.

tametsi inter se dispares, aliusque ab alio scientia, et oratione vincitur; omnes nihilominus cum doctrina eloquentiam ad aliorum eruditionem consociare, atque conjungere sunt conati. Possem aliquorum et juris, et philosofię peritorum scripta emendatę, latinęque locutionis commemorare: sed cum per tempus minime liceat, unum dumtaxat exhibeo Scholę quidem alumnum, at et Philosoficis sectis omnibus satis excultum, et missis aliis ejus eruditionis indiciis, Latinitatis eximię, Jacobum videlicet Facciolatum. Is porro non in rudimentis solum, et institutionibus logicis, atque dialecticis Acroasibus purum dicendi genus, et elegans est sequutus; verumetiam de obscuritate in disputando pero-

rans, stylum in disputationibus ipsis mundum esse debere disseruit, et illustrem. Ejus aureum sane locum accipite: ne cum Scholasticum attulerim hominem, culto sermoni faventem, vos in suspicionem vocaverim.

„Sequitur, ait, deinceps, ut quę sunt
„recte cogitata, et distributa sermone efferā-
„tur mundo, et illustri, qui lumine suo pul-
„chritudinem ostendat. Sint aurea, quę co-
„gitasti; si verborum sordibus infuscas ex
„auro lutum facis. Quod autem lutulen-
„tum est, quid mirum, si idem sit tenebri-
„cosum? Itaque etiam orationis ornatus
„modo non insignis, et exquisitus aliquan-
„do locum habet; a quo nec Theofrastus, nec
„Xenofon, nec Plato, nec Aristoteles abhor-

„ruit. Quamquam dificile est in orando sen-
„tire, quid deceat; præsertim subtilia, et spi-
„nosa tractanti, in quibus magis offendit ni-
„mium, quam parum illud certe negari non
„potest, verborum, ac sententiarum lumina,
„quæ à Latinis figuræ, à græcis schemmata
„dicuntur, loco adhibita ad disputandi
„perspicuitatem pertinere. Siquidem figuræ
„atentionem excitant, atentio facit, ut ac-
„cutius cernamus. Sed hic maximè viden-
„dum est, quatenus. (1)

Hæc Scholasticus humanissimus.
Sed quoniam ostendi, ut brebissimè potui,
tum ratione, tum auctoritate multiplici
disputationem, orationemve quamlibet, et
puram, et elegantem esse opportere, non

(1) A Grossi 7.ª de obscurit. in disput.

vagari sermonem meum longius faciam: atque iis omnino finibus, et terminis definietur, quos mihi ipsemet initio constitui. Scilicet veræ, solidæ eloquentiæ summam, vel epithomen tradere sum pollicitus: qua circa fide, quam interposui, liberata, finem illico faciam disserendi.

Facultatem igitur copiose, apte, ac ornatè dicendi eloquentiæ nomine intelligi, tam est illustre, vt lateat neminem. Qui autem ad dicendum modo illo polleat, is orator, ac eloquens appellatur. Nam etsi orationis vocabulum sermonem indicat quemvis sensa mentis, et concilia pandentem: huic tamen locutioni atribuitur maximè, quæ copiosa sit apta, et splendida. Ex quo intelligi par est, tribus eloquentiam rebus na-

tura, artificio, et exercitatione contentam: sicut ubertatem natura suppeditet, orna-tum doctrina, usus denique convenientiam, et decoram. Ego equidem id cuivis assenti-ar, nisi habilitatem, et copiam natura contulerit; haud sanè multum ad sermo-nis elegantiam artis præcepta, exercita-tionemque profuturam: at si ad fœcundi-tatem, quam suæ quisque naturæ debebit, modo sit aliqua, doctrina, legendique, ac scribendi assiduitas adjungetur; elo-quentem eum evassum ire, contendo. Nam et ars rudè, at non hæbes prorsus ingenium acuit; et assiduus unirei de-ditus usus ingenium sæpè vincit. Magis-trorumque præceptiones omnium superat.

Jam verò omnis doctrina discendi,

quę artificiosa dicitur eloquentia, uno que verbo Rethorica, in rebus, et verbis est sita: neque alius elegans vocatur, et nitidus sermo, imo nec est alius orationis nomine dignus, nisi qui optimis sententiis, verbisque electissimis constat. Quare illorum opinionem ferre non possum, qui quod aut leviter sunt, aut neutiquam eruditi; quia complecti universa nequeunt, ea quassi disuta, vel potius discissa contrectant, nec aliter à sententiis verba dissociant, atque ab animo corpus, quorum sine interitu fieri diremptio neutra potest. Itaque ergo neque verborum ornatus inveniri, nullis subjectis, partitis, expressis sententijs; neque ulla esse potest illustris, et pulchra sententia sine luce verborum;

vocum enim non fucatus, sed naturalis splendor, ac nitor in earumdem cum rebus quasi consensu, et concemptu consistit; ex quo ipsorum etiam rerum bonitas, opportunitas, et gravitas patet. Propterea iidem olim, teste Quintiliano, sapientes, atque eloquentes sunt habiti; nec est, auctore Tullio, aliud eloquentia â sapientia copiose loquente distinctum. Sed duo hic extrema verę que eloquentię adversa diligenter declinanda sunt vitia, nimius videlicet ornatus, et nullus. Ut enim maximę insignes, pręclarę que sententię in eleganti sermone sordescunt. Sic calamistris, inanibus que veneribus, et amęnicatibus enerbantur. Et quidem res inde sententias, quam materiam

dicere possumus orationis à Philosofia, cęteris que disciplinis vetere: verba, eorumque, ac rerum ipsarum exornationem, quę illius quasi forma sunt, à Grammatica, et Rethorica mutuari debemus. Non diffiteor, si ordinis naturę ratio habeatur, à rebus Pręceptori esse exordium ducendum; sed cu multo sit facilior, et planior doctrina verborum, hęc primum videam, illas deinceps.

Atque modus dicendi optimus ille est, ut latine, id est, purè, ut venustè, ut ornatè, ut ad rem denique quęcumque agetur, accomodate dicamus. Latinitas sermonem eficit castum, venustas cultum, ornatus splendidum, accomodatio, seu convenientia decorum: atque adeò

prima arcet ab oratione barbariem, altera insulsitatem, tertius abjectionem, quarta importunitatem, atque fastidium. Jam ut pure, ac emendatè loquamur, non solum ea nobis eferenda sunt verba, quę reprehendi jure non possint, sed ipsa sic et portione, et genere, et numero, et casibus, et temporibus conservanda, ut nihil in illis pręposterum, nihil permixtum, nihil absonum, vel insolens reperiatur. Atque postremu hoc cognitione facile est, quippè quod traditur literis, doctrinaque puerili: quare nihil ea ipsa dere amplius atinet dicere, nisi ita usu esse necessariam, ut minus exigi nequeat. Ejusdem certè necessitatis primum illud est de integritate verboru; sed disparis, imò longe majoris dificultatis

tis, et cognitionis: quocirca hic me non nullis oportet præceptionibus immorari.

Primum igitur ab his, quoad fieri potest abstinendum est vocibus, quæ à variis conflatæ sunt linguis, atque ab hybrida, bestia scilicet dissimilibus nata parentibus, hybridæ nominantur: ut monoculus, è monos Græco, latinoque oculus: ut polylocus, poliloquium, phylogræcus, archypincerna, quæ à Græcis sylabis insipientia, desinunt in latinas. Nonnullis atamen ejus naturæ vocabulis uti licet, quod aut probatæ latinitatis auctoribus usitata sint, ut phylogræcus Varroni,(1) byclynium Plauto(2) Aut nisi adhibeantur, ut in Principium, aut Procerum titulis sepè contingit, eorum dignitas derogetur, apud quos potius est reveren-

(1) Lib. 3. R.R. c. 10. (2) Baccid. act. 3. Scen. 2. 67.

tia, quam Latinitas adhibenda. Originis etiam barbaræ vocabula devitentur, nisi eas antiquitas civitate donaverit. Sic modernus, rigorosus, assistentia, vulgus, vasallus, alia denique plurima hispanæ, gallicæ, germanicæ, italæ originis verba. At verò accinaces persicum, essedum gallicum, cobinus britanicum, punicum mappa, Rheda celticum, qui adhibeat, is se â barbariei reprehensione aberit: cum primo Oratius, et Curtius, secundo Cicero, tertio Lucanus, et Mella, quarto Martialis, et Suetonius, postremo Cæsar, et Tullius usi sint. De græcis autem et vocibus, et formulis, quas vocãt græcismos, similia jubentur: ne videlicet, nisi inopiæ causa verborum, aut docendi vel oblectandi gratia, quod vel ipse fecit

non semel Tullius, usurpentur.

Quod ad ea verba pertinet, quę à vulgato Divinorum librorum interprete, latinisque PP. adhibentur, dicunturque Eclesiastica, ut Monialis, pro Sacra Virgo; crucifigere, pro cruci affigere, suffigere, seu in crucem agere, aut tollere; canonizare pro in numerum referre Sanctorum; sic habete; in Religionis nostrę Misteriis, et ritibus, in rebus demum omnibus ad revelatam Theologiam atinentibus, docendis, vel explicandis, suam Eclesię Almę dicendi formulam esse servandam, eaque ipsa retinenda vocabula, quę nobis tum interpres ille; tum SS, veteres tradiderunt. Neque enim quidquam preterea modo cętera adsint, majestatis, et laudis amitet oratio.

Lactantii, Hieronimi, Manucii, atque Cani, aliorum exempla patent ad imitandum: quorum cum libros legimus, sic oratio nostra quasi coloranda est, ut, cum in Sole ambulamus, facies coloratur. Nam quis eorum libertatem, imo licentiam ferat, autorum, qui ne peregrinum quidpiam, et à Romano, Tulliano praesertim sermone alienum sonarent, pro Eucharistia santificum crustulum, pro Baptismo lustrales aquas, pro Sacris demum aliis profana quędam alia usurpabant?

At philosofica monstra illa verborum, quę superiori memoria natio peperit Scholastica, ut esseitas, quidditas, cognoscitivitas, entitatula, cętera, pęnitus declinanda. Illa verò tametsi barbara, at minus

sunt absona: implicari in terminis pro loqui pugnantia: præsuponere, pro ponere; inferre pro colligere, concludere, efficere, cogere: quæ sane barbaries, quoniam eâ uti non cogimur, vacat excusatione, reprehensione non vacat, nec me latet, quædam incidere interdum, maxime in Dialecticis, Methaphisicisque disciplinis, subtiliora, ac spinosiora, imo in Phicisis recentiora, quam ut latine valeant explicari, quibus in rebus per ipsum licet Tullius (1) verba compingere. Quid, quod ut intelligantur, homines loquuntur? ideo que millies præstat esse barbaros, quam obscuros, si duorum alterum sit futurum. Nec vos patiar ignorare cuivis arti verba esse privata quædam,

(1) Lib. 3. de fin. C. 10. et orationum in art. poet. v. 48.

et sua; illis videlicet usitata, qui in ipsis versantur, suntque latina maximè, quamvis ea nec Tullius, nec Cęsar, aut Nepos similis vel alius adhibeat. Sic Vitruvius Architetonicis verbis scatet, Columela, Catoque rusticis, medicis Celsus, Borro Grammaticis. Tandem Poetica nobis cavenda sunt verba apposita, et formulę: cavendi pariter archaismi, siquidem pura est, ac emendata locutio nostra futura.

Sequitur sermonis concinnitas, aut veritas, quę in modis, aut numeris, et periodis sita est. Modus autem ille, vel numerus structura quędam est, ac ordo verborum, quo fiat, ut non claudicet oratio, non fluctuet, sed acte, constanter, ęquabiliter fluat, quia pręcipuè usu venit, cum ipsa in

quibusdam quasi orbibus, græcè periodis, inclussa prolabitur. Est namque oratio duplex Versa, et Fussa: illa periodis inclusa, hæc soluta illis, et libera ingreditur. Periodus autem oratio est, eo verborum flusa circuitu, ut sensus nisi perfecta, absolutaque sententia non pateat: quapropter cui orationi ambitus desit, ut huic: librum tuum sæpe legi; et procul abest, an ecta est forma periodi. Vt autem periodus dici posit, addendus est ambitus ad hunc modum: librum tuum Hispali acceptum non semel, ac iterum, et sæpius legi: nec satis est circuitus orationis, ut ea periodus appeletur; sed et sic progrediatur, necesse est, ut sensus, nisi ipsa finita, non pateat, atque adeo omnium animos, donec absoluta sit, expectatione suspendat. Hæc

propterea non est periodus, virtutem laus, et gloria consequitur; vitium dedecus, et infamiam. Sensus enim patet, aut membra noscuntur: ac si aliæ vero ut virtutem laus, et gloria consequitur, sic vitium dedecus, et infamiam: cum sensus nisi absoluta sententia, non constet, periodum faciant.

Et harum quidem duo sunt genera. Nam quædam simplices, aliæ compositæ fiunt, et apellantur. Simplex autem uno, composita pluribus membris contenta est. Cum duo sunt membra bimembris dicitur periodus; cum tria trimembris; cum quatuor denique quadrimembris: græce autem dicolos, tricolos, tetracolos; simplex vero monocolos. Duas prætera in partes composita quævis periodus tribui potest; quarum

unam vocare antecedentem possumus, aliam consequentem, quæ græcis sunt protasis, et apodasis, sic enim appelantur in singulis periodis bina, media, vel (audeam enim, ut planius loquar) medietates; quarum quæque dimidium totius sententiæ complectitur. Membrum periodi, quod græci colon, propositio est, sic ex alia, vel aliis, quibus conjunctione, aliavè particula connexa est, pendens: ut totam, nisi reliquis antecedentibus, sententiam non absolvat. Membri autem partes græcè commata, incissa, vel articuli latinè dicuntur: Membrum verò periodi ultimum clausula. Simplicem, bimembremque periodum supra confecimus: reliquarum exempla subjicio. Trimembris ergo

illa est Tullii:„ sed priusquam illa conor
„attingere; quibus orationem ornari, atq.
„illuminari putem, proponam breviter,
„ quid sentiam de universo genere dicen-
„di.(1) Hęc autem ejusdem quadrimem-
bris est:„ si quantum in agro, locis que
„ desertis audacia potest; tantum in foro,
„ atque in judiciis impudentia valeret:
„ non minus in causa cederet Aulus Ce-
„cina Sexti Ebutii impudentię; quam
„ tum in vi facienda cessit audatię.(2) Qua-
tuor autem membrorum periodi, cum et
integrę ratiocinationis captiores sunt aliis,
et propositionum numerum, auribus ju-
cundissimum complectantur: non solum
amplitudine reliquas superant; sed etiam

(1) Lib. 3. de orat. n.º 14. (2) Orat. pro Aul. Cecina.

venustate, ac nobilitate. Ad hęc nullus est membrorum numerus protasi, vel apodosi desfinitus cum modo illi ullum sit, huic duo, vel tria; modo contrà: sed quadrimembris tamen periodus, cum bina singulis partibus membra sint, gratior evadit, et pulchrior.

Quod atinet ad interpuncta verborum, quibus est periodus distinguenda: hęc, ut arbitror, sunt servanda pręcepta; gradusve interpunctionis faciendi: ea ut verba, quorum neutrum àb altero proxime regatur, aut pendeat hac nota (,). quę coma dicitur, sejungantur. Membra autem, intervalla vè majora, pręsertim oposita hujus signi (;) quod semicolon gręci vocant, interjectiò dissociet. At vero collon, hoc est, duplici puncto alio alii subjecto, (:) amplę, cujusvis

periodi, protasis, et apodosis ocupentur. Tum clausulę, seu periodi extremitati punctum unicum appingatur extremitati. Ut autę in periodis superioribus articulos, vel incisa: membra etiam, et medietates deprehendatis; nihil aliud opus est factu, quam ut interpunctionis ibi servatę rationem non detis.

Nec vero plura quatuor esse debent membra periodo; siquidem justa, et grata ejus futura est circuitio. At sunt orationes aliquę prolixiores, atque fusiores, quas in spectatissimis auctoribus cerni licet; comprehensionem quamdam, et ambitum conficientes: quę, loco adhibitę, magnam sermoni afferunt venustatem, ac elegantiam. Atque cum nec pauciora quinq.

nec plura septem, aut octo membra ponun-
tur; oratio periodicon appellatur. Cum autem
tot oratio membra complectitur, quot orato-
ris spiritus ferre potest: Pnema dicitur. Quod
si plura sunt membra, quam ut ullus que-
at uno ea spiritu fundere; Fasis, ejusmo-
di oratio vocatur. Exempla et patent, nec
afferri per tempus licet. Denique cum
multę sic coacerbantur enunciationes, vel
orationes, ut, et si numerum aliquem, et
quasi circuitum faciunt, seorsum tamen
intelligi possint: complexio verborum
illa circunductio dicitur periodica. Talis
illa est Ciceronis „ est hęc non scripta, sed
„ nata lex; quam non didicimus, accepi-
„ mus, legimus: verum ex natura ipsa arri-
„ simus, hausimus, expressimus; ad quam

„non docti, sed facti; non instituti, sed im-
„buti sumus. (1) ejusmodi autem dicendi mo-
dus inter periodum, fussamque orationem
interjacet: nec enim est plane solutus, et liber,
nec periodi legibus plenè constrictus.

Ac oratio quidem, nisi modo ligata,
modo soluta periodi habenis, ut ita dixerim,
progrediatur; sic, ut non uno semper tenore
fluat, verso, vel fluxo, sed alter cum altero
misceatur: molesta illa, gravisque sit, neces-
se est. Qua de causa non numquam incis-
sè Orator eloquitur, aliàs membratim, in-
terdum ambitu verborum, aut omnino, a-
ut ex parte neglecto fastidium removens
varietate. Incisim autem, ut quibusdam
placet, (nam dissentiunt Rethores) dice-

(1) Pro Milone.

tur; cum sensus, structuraque, constructio ve grammatica intra paucculas, octo videlicet, paucioresve sylabas absolvetur: cum vero ab octo sylabis ad septendecim sensus excurret, membratim. Sic hæc incissè sunt dicta. „Pater nesciebat, Mater aberat, Do„mestici connivebant. Filius bacchabatur.„ Illa membratim. „Multa ille nobis unus in„tulit mala; multa gallis, finitimis nostris „pericula; maximam suo generi turpitu„dinem; toti denique provinciæ vastitatem.„ Atque ubicumque acriter loqui instanter, pertinaciterque oporteat; in epistolis præterea familiaribus, in dialogis, narratiunculis locum habent incissa, et membra præcipuum. Quadrimembris periodus exordiis apta est; pneuma vehementioribus animi

motibus excitandis: Fasis accusationi sce-
lerumque, ac flagitiorum enumeratio-
ni: reliqua, prout quodlibet, referuntur.
Atque de orationis venustate satis est,
ut arbitror, explicatum.

Ornata autem nam id sequitur,
erit oratio, si verborum immutationibus, qu-
as græci apellant Tropos, et sententiarum,
sermonisque formis, quas schemmata vo-
cant, rectè utemur; „Tropus est, verbi, vel ser-
„monis â propria significatione in aliam
„cum virtute translatio (1) Verbi autem, ser-
monisve dicitur; quod alii una constent vo-
ce, aut Methafora, alii pluribus, ut Alle-
goria; figura, vel forma, ut ipso patet vo-
cabulo est confirmatio quædam orationis

(1) Quintil. lib. 8. inst. Orat. Cp. 6.

ã communi, et primum se oferente ratione, remota (2) In hoc autem ã figura discrepant tropi, quod in his verba pro aliis alia ponuntur, aut suo ã loco in alium transferuntur; illę vero, et propriis verbis, et ordine positis naturali, et suo, fieri posunt: quamquam sępe contingit, ut in easdem sententias figura, tropusque coeant; cum non solum propriis verbis, sed etiam à naturali pręcipuaque significatione translatis, figuretur oratio. Atque tropis propterea utimur, quia vel necessarium est, vel significantius, vel decentius; quare si causa translationis est nulla, importuna est, atque reprehensionis digna translatio. Est autem tropus multiplex, scilicet Methaphora,

(2) Quint. Lib. 9. Cap. 1. inst. orat.

Sinedoche, Metonymia. Onomatopeja, Catachresis, Methalepsis, Epitethon, Allegoria, Ironia, Periphrasis, Hiperbaton, et Hiperbole.

Jam Methaphora fit, cum aut animata pro animatis, aut inanimata pro inanimis, aut contra pro animatis inanimata, animata pro inanimatis, similitudinis alicujus gratia ponuntur. Sic homo, qui alterum criminatur, ipsum allatrare dicitur. (1) Sic legum, et amicitiæ habenas pro obligatione. (2) Sic ferro virtutem alicujus occidere, hoc est, aliquem, dicimus. Sic denique montium cacumina verticem apellamus; verbum illud ab ho-

(1) Liv. Lib. 38. Cap. 54. (2) Cic. Lib. 3. de orat. c. 4. et in Dialog. de Amic. (3.) Virg. Eneid. 6.

minis capite ad montis fastigium transferentes. Hujus quidem tropi opportunus, et modicus usus orationem illustrem reddit, et gratam; importunus, et frequens obscuram, et injucundam. Humiles præterea, et sordidæ, et dissimiles, et duræ translationes cavendæ sunt. Synedoche sic orationem variat, ut aut ex parte totum, aut ex specie genus, aut ex uno plures, aut ex antecedentibus consequentia, vel contra etiam cognoscamus: quod Poetis magis licet, quam oratoribus. Ut enim tectum pro domo, ferrum pro gladio, soluta admittit oratio; sic pro navi puppim, pro aqua fontem respuit, et Poesis reliquit. Metonymia pro inventis inventores ponit, possesores pro possesis, pro

continentibus contenta, pro causis effectus, et versa vice: sed et id parcè, ac restrictè faciendum est. Antonomasia quidquam in locum nominis sufficit: ut Virginis filium pro Christo. Apostolum pro Paulo, cetera. Rarus quidem hujus tropi usus est oratoribus; sed non nullus. Anamatopeja, fictio ve nominis eo valet, ut rei nomine carenti, vel idoneum non habenti, nomen aut imitationis, aut significationis causa imponatur. Sic à sono bovum, qui est mu mugire dicimus, et mugitum, à voce passerum, aliarumque avicularum pipire; qua in re nisi procedat Docti alicujus, et probati auctoris exemplum, nihil nobis audendum est.

Catachresis deinceps, abusiove dicitur, cum iis, quę vacant nomine, quod vicinius est, ac similius accomodatur, ut cum Parricida is appellatur, qui Matrem, aut sororem, aut fratrem occidit. Metalepsis, sive transumptio quidpiam ponit, unde ad aliud quibusdam velut gradibus deveniamus. Eam Virgilius adhibens, cecinit: Ecclogą prima.

Post aliquot mea regna videns, mirabor Aristas.

Aristas enim posuit, ut ab iis ad spicas, ab spicis ad segetes, inde ad ęstates, hinc ad annos intelligendos transirem. At hic et rarissimus tropus est, et maxime improprius, quamobrem Poetis, quibus licent omnia, relinquendus. Epitethon,

latine appositum, Poetis ipsis usitatissimum, eo namque modo verbo, cui aponitur, congruat, nihil aliud requirentes, utuntur. In illis itaque nec nix alba, nec humida vina, nec ignis lucidus, nec alia consimilia vituperantur: at Orator, nisi vim apposito addat, eo uti vetatur. Hoc autem, ut nihil vertat, tropus non esse videtur; etsi à Quintiliano inter tropos numeratum invenio.(1) Allegoria, seu inversio, è multis conflata Methaforis aliud verbis, aliud sensu patefacit. Sic Oratii ode illa navis referent, cętera,(2) perpetua est Romanę Reipublicę allegoria. Navis enim Rempublicam signat; fluctuum tempestates bella civilia: portus concordiam, et tranquilitatem; remigium, seu

remiges milites; malus Pompejum; Antennæ Senatores, virosque alios principes; funes pecunias cętera. Id præcipuè, ut Quintilianus præcipit, „videndum est hic, ac custodiendum, ut quo ex genere quis cęperit „translationis, hoc desinat: multi enim cum „initium à tempestate sumpserunt, incendio, aut ruina finiunt; quod est inconse„quentia rerum cędissima. (1) Cum autem non modo aliud verbis, ac sensu, sed contrarium ostenditur; efficitur Ironia, quæ propterea genus quoddam est Allegoriæ. Atque tropo quidem hoc parce, et continenter utendum est.

Ad hæc cum quod uno, aut certè paucioribus explicari poterat verbis plu-

(1) Lib. 8. Cap. 6.

bus dicitur; Periphrasis fit, vel loquendi circuitus, aut circumloquutio. Non numquam ut turpia dictu occulat, alias ut ornatum conferat, adhibete; quare si nihil horum faciat, non perifrasis dicitur, sed Perisologia, hoc est, inanis turba, et insolentia verborum. Tropus autem hic quamvis non sit oratoribus rarus; ipsis tamen est, quam Poetis multo restrictior. Verborum deinde transgressio, græcè hiperbaton, tamen est ad sermonis ornatum accomodata; ut si vulgaris, ac simplex vocabulorum ordo servetur; insuavis, et dura, et hians, et dissoluta sępissime fiat oratio. Nec vero aliud, ut Fabius ipse notat aptissimè Quintilianus (2) sermonem efficit

(1) Lib. 8. c. 6. (2) ibidem.

numerorum, quam mutatio ordinis opor-
tuna. Pulchrè Tullius recta vocum positi-
one neglecta „animadverti, inquit, judi-
„ces, omnem accusatoris orationem in duas
„divissam esse partes„. Si in duas partes
divisam esse, dixiset, recta quidem esset
ordinatio, at ne vellexis oratio, neve copta,
neve colita. Postremo Hiperbole, sive ut Re-
thoricorum ad Herennium librorum
auctor vertit, Superlatio, est oratio supe-
rans veritatem alicujus augendi, minu-
endivè causa: Ea, ut ipse addit, „ subi-
tur separatim, aucto cum comparatio-
ne.„ Separatim sic: quod si concordiam
retinebimus in Civitate, Imperii„ mag-
nitudinem Solis ortu, atque occasu nes-
ciemur. Cum comparatione, aut à simi-

litudine, aut à præstantia superlatius sumitur. A similitudine sic: corpore niveum candorem, aspectu ignem ~~in~~ ardorem assequebatur. A præstantia hoc modo: tantus erat in armis splendor, ut Solis fulgor obscurior videretur. (1) Id autem hic Quintiliano hujus artis notissimo, notato te. Tum superlationem esse virtutem, cum res ipsa, de qua loquendum est, naturalem modum excedit: conceditur enim amplius, dicere, quia dici quantum est, non potest; meliusque ultra, quam citra stat oratio. (2) Habetis de tropis. Figuras leviter atingamus.

Eæ autem aut in verbis, aut in sensu ipso verborum esse possunt: quocirca

(1) Lib. 1. (2) Lib. 8. sub fin.

illæ sermonis, orationis; seu verborum figuræ dicuntur: hæ mentis, sensus, vel sententiarum. Res enim variis modis et concipi possunt, et enunciari: quo contingit, ut, quæ figuræ ad concipiendum pertinerent, sententiarum: quæ ad id quod conceptum esset, efferendum, verborum eas Rethores apellarent. Atque ut res eædem exprimi dissimiliter, et queunt, et solent, manetque sensus locutione mutata: sic una, eademque figura sententiæ multas, variasque verborum figuras habere potest. Sæpe etiam in eadem enunciatione utriusque generis figuræ concurrunt, quod hic cernitur: vos enim jamjam albani tumuli, atque luci obtestor. Nam sermonis à judice, auditorevè alio aversio sententiæ: geminatio verò illa jam jam

verbi figura est.

Age nunc verborum figuras consideremus: quæ aut in adjectione, aut in detractione, aut in similitudine sitæ sunt. Ad adjectionem pertinet repetitio, conversio, complexio, conduplicatio, traductio, refractio, copulatio, dissolutio, gradatio. Repetitio est, cum ab eodem vocabulo sæpè initia sumuntur, hoc modo: „nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas.„ Conversio contra est, per quam non ad primum quidem verbum, sed ad postremum sæpè revertimur, hoc pacto: „ex quo tempore „concordia ex Civitate sublata est, libertas „sublata est, fides sublata est, amicitia sublata est, Respublica sublata est.„ Cum autem crebro ad primum, postremum verbum

regredimur, Complexio fit, sic appellata, quod repetitionem, conversionem; complectatur, hoc modo: „quem Senatus damnarit, quem „populus Romanus damnarit, quem omni-„um existimatio damnarit; eum vos sen-„tentiis vestris absolvetis? Conduplicatio est ejusdem vocabuli geminatio, ut: vivis, „et non vivis, non ad deponendam, sed ad „confirmandam audaciam.„ Traductio efficit, ut vox aliqua sic iteretur, ut iteratio non acerba sit, sed jucunda in hunc modum: „eum tu hominem apellas, qui, „si fuisset homo numquam tan crudeli-„ter vitam hominis petivisset.„ Refractio est, cum vox eadem, ut diversa significet, geminatur hoc pacto: „veniam ad vos, „si mihi Senatus det veniam: malis meo-

"nexas, aud malis." Cum conjunctiones abundant: Copulatio fit, græcè Polysindeton: cum desunt, et multa nihilominus congeruntur, dissolutio, Assyndeton græco sermone. Sed hæc et ad detractionem spectant: quod enim multa conglobentur. Adjectionis est; quod conjunctiones removeantur, Detractionis. Illius exemplum esto, quod sequitur: "hæc "omnia, quin ab ipso et cogitata sint, et vul-"gata, et incoata, et absoluta, et perfecta, "non dubito." Alterius hoc: abiit, excesit, "evassit, erupit. Tum gradatio fit, si priusquam ad consequens descendimus verbum ad superius conscendamus hoc modo: "nam "quæ reliqua spes libertatis manet, si illis "et quodlibet, licet, et quod licet, possunt: "et quod possunt, audent, et quod audent,

„ faciunt, et quod faciunt vobis non est mo-
lestum? „ Et hęc quidem per adjectionem
fiunt.

Per Detractionem autem Syne-
doche, Dissolutio, et Adjunctio; si quod
omititur vocabulum, quod satis ē cęteris
intelligitur, est Synedoche: v.g. stupere
gaudio gręcus, scilicet cępit. Ergo si Tiro in
me, cogito in Tusculanum: hoc est si Tiro
venerit ad me, cogito proficisci Tusculanū
Dissolutionem modo explanavimus.
Restat Adjunctio gręce Zeuma, in eo po-
sita, ut multę uno sententię verbo nectan-
tur, quin hujus genus, aut numerus, aut
adjunctum aliud immutetur. Atque ut
vox illa plures regens, vinciensque senten-
cias, vel in principio, vel in medio, vel in

fine orationis, seu periodi esse queat locata. Triplex adjunctionis, seu zeumatis genus exoritur, protozeuma, mesozeuma, hypozeuma. Primum est, cum verbum illud unde cetera pendent, initium occupat orationis, hoc modo: „vicit pudorem libido, timorem audatia, ra„tionem amentia.„ Alterum cum est in medio constitutum, ut: formę dignitas, aut morbo deflorescit, aut vetustate. Tertium, cum in fine residet, ad hunc modum: „neque enim is est, Catilina, ut te aut pudor, umquam à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore revocaverit. Et hę in detractionem sunt positę.

Venio ad figuras similitudinis, scilicet, agnominationem, duasque alias, quarum una similiter cadens, altera

similiter desinens appelatur. Agnominatio in literarum brevi commutatione consistit, ut: inceptio est amentium, non amantium: vel sic: Sicilia non praetorem, sed praedonem habuit: vel sic: Lenones, tamquam leones vitasset: similiter cadens figura dicitur, cum plura sunt nomina, quae iisdem casibus efferuntur, hoc pacto: hominem laudas, egentem virtutis; abundantem felicitatis: similiter desinens est, cum, et si casuum similitudo deest, sunt tamen similes verborum exitus quorumcumque, sic: audacter, terribus humiliter placas, item audes et facere, et turpiter, et dicere nequiter. Habetis figuras, quae ad verba respiciunt: quae autem in sententiis constitutae sunt, videam.

Præcipuæ autem sunt interrogatio, subjectio, prolepsis, dubitatio, comunicatio, sustentatio, prosopopeja, apostropha, hypotyposis, aposiopesis, prætermisio, correctio, contentio, et hypiphonema. Interrogatio est, cum non sciscitandi, sed instandi gratia, urgendive quærimus, ut: quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? cætera. Responsio interrogationi subjecta, subjectio dicitur, hocce modo: Domus tibi deerat? at habebas: pecunia superabat? at egebas. Prolepsis fit, cum quod opponi quit, ante occupamus. Dubitatio cum quærere orator insimulat, utrum de duobus potius, aut quid de pluribus potissimum dicat. Exempla patent. Huic affinis est Communicatio qua, vel

ipsos consulimus adversarios, vel cum judicibus, seu auditoribus deliberamus, hoc pacto:
„ Tu denique, Labiene, quid faceres tali in re,
„ ac tempestate?„ Cum autem communicantes in spectatum aliquid tandem subjicimus, substentatio est: sic Tullius in Verrem: „quid
„ deinde? quid censetis? furtum fortasse, aut
„ prædam aliquam?„ postquam autem auditores diu essent spectatione suspensi, qd erat nequius, et improbius addidit. Prosopopeja, sermocinatione vè utimur, cum personas, vel res etiam sensu carentes sermocinantes inducimus, ut illa est Ciceronis in Cathilinam„ quæ (de patria loquitur)
„ tecum, Catilina, sic agit, et quodam modo
„ tacita loquitur, nullum jam tot annos
„ facinus extitit, nisi per te, nullum

flagitium sine te, cętera. Apostrophe est sermo ab auditoribus aversus, sic: vos enim Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, imploro, atque obtestor. Hypotyposis est rei narratio ad vivum expressa, ut illa Ciceronis in Verrem: „ipse inflamma-„tus scelere, ac furore, in forum venit: ar-„debat oculi, cętera.„ Aposyopesis, sive presisio, vel reticentia, cum quod dici cęp-tum est, non absolvitur, sed in auditorum judicio relinquitur, sic: „tu istud audes „nunc dicere, qui nuper alię domui ::: non „ausim dicere, ne, cum te digna dixero, „me indignum quidpiam dixisse videar.

Deinde pręteremissio est, cum nos pręterire, aut nescire, vel nolle quidpiam dicere simulamus, quod tum maximè dici-

mus, hoc modo: „ omnia illa, quæ et sæpe
„audistis, et tenetis animis, etiamsi non au-
„diatis, prætermitto. Nihil de hac ejus au-
„dacia loquor, nihil de superbia, nihil de con-
„tumacia; nihil de crudelitate disputo, la-
„teant libidines ejus, cætera." Correctio fit,
cum quod est dictum, tollimus, idque, quod
aptius videtur, sufficimus. Tale illud est, qd
supra, cum Proverbiorum locum quemdam
pro eloquentia produximus, annexuimus:
„en Regum, en hominum omnium sapientis-
„simum: quid Regem ego dico, vel hominem?
„En Deum scientiarum Dominum." Conten-
tio; græce antitheon, vel antithesis fit, cum
ē contrariis rebus conflatur oratio, hoc mo-
do: „ tacere cum opus est, clamas; cum loqui
„convenit, obtumescis; ades, abesse vis; abes,

„reverti cupis." Tandem Epiphonema est, rei narratæ alicujus, probatæ vè summa aclamatio: qualis est, quam Virgilius, post narratos Trojanorum labores, usurpat: „Tantæ molis erat Romanam condere gentē." Et eæ quidem exornationes sunt orationis.

Restat acomodatio, ejus ad res, quæ dicuntur: nam alias non aptus, decorus que sermo ejus, sed ineptus, et importunus, aptè ergo dicetur cum varia dicendi formula, seu stylus pro rerum, et personarum varietate usurpabitur. Stylus autem ex quantitate, ut ita dicam, ex qualitate, ex materia que expectari potest: quocirca triplex divisio ejus exoritur. Si enim de quantitate loquamur, alius Laconicus, alius atticus, alius asiaticus, Rodius denique

stylus alius à gentibus, quę illis usę sunt, ap-
pellatur. Laconicus ergo est, quo plurima pa-
ucissimis indicant: qua quidem brevi loqu-
entia nisi et raro, et cum amicis non est
agendum. Atticus, quo multa paucis dici-
tur. Ejus autem dotes justa brevitate, acu-
mine, sinceritate, elegantiaque continen-
tur: locumque in epistolis, historiis, disci-
plinis quoque, et artibus habet. Assiati-
cus quoad sententias atinet, brevissimus,
et pauperrimus; quoad verba uberrimus,
et plenissimus: quare laudem nisi in juve-
nibus nullam propè modum habet. Rho-
dius tandem attico uberior, restrictior as-
siatico, quemdam inter sententias, et
verba consensum, ac ęqualitatem obser-
vat: ut id dixero pręstantissimus, meo saltem

judicio, omnium sit habendus. Atque ut juvenes ubertas decet, ac copia, sic Rhodia mediocritas, aut attica brevitas viros, ac senes, Stylum ex ejus quantitate divisum, exposui.

Si autem qualitas spectabitur, aut tenuis, aut mediocris, aut magnificus erit. Tenuis integritas, et concinnitas propria est, ornatus alienus. Quod si integritatis, aut venustatis est expers; non tenuis dicitur, sed jejunus, et siccus. Mediocris non solum integritatis, et venustatis; sed etiam exornationis est amās. At cum barbaris pura, invenustis concinna, incomptis ornata miscentur; stylus redditur inefabilis, et inconstans. Magnificus denique prǽterquam inte-

ger, concinnus, et ornatus, majestatis est plenus, ac gravitatis. Majestas autem orationis, et gravitas in verbis, sententijs, affectibus, luminibus, numero, et structura lectissimis sitę sunt. Multa hic verba esse debent plena, sonantia, translata, grandia, superlata: sententię acutę, gravesque: similitudines à rebus ductę nobilibus: exempla heroyca, et amplissima: virorum testimonia maximorum: afectus et magni, et generosi: exclamationes, interrogationes, sermocinationes, Apostrophe: numerus denique modo tardus, modo velox; longiores ambitus, et graviter desinentes. Cum autem parva magnificę dicuntur; tumidus vocatur stylus: cum autem inep-

tę translatiônes, et superlatiônes, minus argutę, gravesque sententię adhíbentur, frigídus appellatur. Atque tenuè dicendí genus, tenuíbus argumentís, medíocríbus medíocre, amplís magnificum respondere: res est posíta in medío nulíus ingens declaratiônis, vel suassiônis. Quare si in una, eademque oratióne varię res erunt: stylus, prout res ípsę postulent, variabítur.

Quod autem ad materíam atinet stylus vel Dídascalyjcus est, vel Hístorícus, vel oratoríus, vel poetícus, vel epistolarís, seu epistolícus. Dídascalícus igitur discíplinarum omníum propríus est; atque integrítatem, perspícuitatem, elegantíamque se nobís obvíam

dantem, admittit: quare, qui docentis esse putat, barbarè, siccevè loqui; ne is decipitur vehementer. At translationes, nisi perspicuitatis necessitatisve causa, vitandę hic sunt, eęque figurę, quę valde sunt, ut ita dicam pathetice. Historici autem styli afectiones sunt integritas, perspicuitas, concinnitas, gravitasque, non vehemens illa quidem, sed temperata. Oratorio pro hominum, locorum, ac temporum conditione omnia licent. Modo ergo tenuis ille est, modo mediocris, modo magnificus: nunc atticus, jam rhodius; alias assiaticus. Poeticum dicendi genus, cum hic minime spectet, prętermitendum puto. Epistolaris denique stylus, tametsi generatim quotidiano sermone politior esse debet; ela-

borata verò, exculta que dictione simplici-
or: tamen pro rerum, personarumque gra-
vitate attolitur aliquando.

Sed age verba linquamus, et ad sen-
tentias, resvè ipsas, quę vocabulis efferuntur,
et quibus demptis verborum ornatus, vel
exquisitissimus, tanquam stulta, inepta
que loquacitas despiciendus est, veniamus.
Huc igitur Definitiones spectant, Divisi-
ones, causę, effectus, adjuncta, contraria,
loci communes, ac sylogismi: quę quidem
cum singularibus periodis, tum integris
argumentis materiam prębent. Hoc jam
vero loco ista essent singilatim exponen-
da, exemplisque collustranda: sed nec hic
aggredi tempus patitur; et cum de argu-
mentorum locis, aut sedibus agere imus,

pleraque superiora illa non solum explanare conati sumus; verum etiam exemplis additis planiora, facilioraque reddere. His itaque in presentia contenti, velim, sitis: donec ad ea et afferenda, et diluenda transeo, quę adversus integram, elegantemque disputandi, et loquendi rationem opponi nobis posse videntur.

Nam concludat aliquis hoc modo: ea vera, germana, solidaque eloquentia est, quę rebus, quę personis, quę loco, quę tempori, quę aliis denique siqua sunt, adjunctis respondeant. Vt enim non omnes una vestis, aut habitus decet; nec vero ullum eodē semper, et ubique, sed alios alię, eumdemque pro temporis, locive varietate diversę: sic aliam dicendi formam scholastica,

aliam historica, aliam concionatoria, rel.
qui runt: aliter, ut probet eloquens dicit;
atque ut delectet, aut flectat: non idem
adolescentuli, qui juvenibus, rudibus, qui
doctis; paribus, qui disparibus confluit
sermo: nec est similiter in gymnasio, a-
ut in foro; vel in aureo, vel argenteo lati-
nitatis ęvo, ut in ferreo, aut luteo dissu-
rendum. Age vero oratio illa pura, e-
legans, munda, nec disciplinis respon-
det, nec auditoribus, nec loco est, aut tem-
pori consentanea. Nam primum ut ar-
tes, disciplinę que omnes certas postulāt
leges, argumenta que firma. Sic cultum
orationis, falerata que verba non modo
negligunt, sed rejiciunt. Quid quod sci-
entię omnes multo nostrâ, quam superi-

ore memoria aptiores, et ampliores verbis egent, quæ nulli prorsus fuerint nota, vel audita Romanis? Quid autem de Discipulis addam, pueris videlicet aliis, aliis adolescentibus, qui, cum primis tantum, ut dicitur, labiis, imo non pauci, nec primoribus quidem, cum amores literas attigere, scholas adeunt scientiarum? Quid? Absolutane his, numerosa, translata, figurataque latinitas prosit; an simplex, et inelegans; et incompleta, et indomesticum vergens, vernaculumque sermonem? Nec nitor orationis ille, quem vultis, scholam decet; sed formæ, et rostra: tempus denique quod nati sumus, accurationem sermonis illam minime patitur: mutatis enim temporibus et verba mutantur.

et formulę. Alia porro Ciceronis quo latinitati faciet huic, alia Suetonii, alia Apuleii, alia Rufini, alia Erasmi, alia tandem, et alia aliorum seculorum, et aliorum. Quare ineptus certè ille sit, qui in hodiernis disputationibus, orationibus vè quibuslibet integritatem, venustatem, ornatum Tulliani ex. c. sermonis servandum se pręcipiat. Sic ergo, ut proxime argumentatus sum, aliquis fortè ratiocinetur.,,

Ego autem argumenti, propositione, hujusque illustratione planè concessa, assumptionem dare non possum: quipè cum et à vero absit perspicuè, nec subjectis ibi rationibus vel probabilis efficiatur. Atque ut inde totius ducam

notabimur.

Atenim quotidie multa latinis ignota disciplinis accedunt. Quasi vero imponenda nova novis rebus nomina, aut ego negaverim, aut dubitet ullus: sed ejusmodi novitatem excusat necessitas, non voluntas, vel ignorantia. Quamquam si nec dificilia infacirentur inscientias: nec utilia inutiliter resecarentur ad vivum; multo certe minor esset verborum inopia, sermoque castior, et incorruptior. At obest, pergit, discentibus sermo emendatus, et purus; non enim mentem ejus, qui talem adhibeat locutionem intelligent. Verum quid, auditores, eum ferre possit, qui ita concludat? Omnes enim assentiuntur, orationis perspicuitatem

cum in aliis consistere, tum maxime in integritate sermonis: est namque oratio dilucida, cum suis quæque verbis exprimitur.
Prodest ergo ad rerum intelligentiam sermo correptus. Prodest? imo vero, nisi purus sit non solum prodesse nequit, sed non obesse non potest; quippe quia perspicuitas in integritate sit posita. Mitto mala ē barbaris, sordinisque formulis nascentia permulta; et in docentes, discentesque redundantia. Quorum illud est, puto, omnium maximum, ab ipsorum inscitia interdictum esse, ne illis amplius, quam mallent, Latinitatis auctores legere liceat; cum de rebus quidem omnibus, multa sint non perite solum, sed pure, concinne, ac mundè conscripta, proptereaque digna maximè, quæ ab omnibus lectitentur.

De venustate autem, et suavitate, cum ea omni propria est orationi, ut libenter videlicet accipiatur: tum illi potissimum, quã adolescentibus disciplinę traduntur: tum illi potissimum, quã adolescentibus disciplinę traduntur. Multa enim subtilia, ardua, spinosa tractantur in scientiis, adolescentibus autē volubilis est animus naturalis, laborisque, et meditationis impatiens: quocirca alliciendi sunt, concinnitate sermonis; atque ea, quasi esca, ut hamo pisculi capiendi. Quid, quod, nemo esse posse videtur, quin elegantissimos libros, quamvis arduos, ęquissimo animo volvat; aridissimos, etsi perfaciles iniquissimos? an aliud denique, vel munditiam rei, quę agitur consentaneam, et ratio pręcipit, et eruditi uno omnes ore commendant. Decorum enim in cunc-

tis servandum rationis est lex, omniumque placitum, et præceptum doctorum. Quibus confectum satis existimo, dandam esse operam, ut sermo in re quavis et vitiis careat: et virtutibus sibi respondentibus decoretur.

Adjiciat nihilominus ille, vel alius, eloquentiæ nullam esse rationem habendam: quippe quam Deus ipse multis scripturarum locis vituperat. Quid est enim eloqui, nisi copiosè, ornatè, et magnificè loqui? at id sæpissime sacræ literæ reprehendunt. Nam quorum illa Davidis spectant; „disperdat „Dominus universa labia dolosa, et linguam „magniloquam.„ (1) Quorsum illa Annæ Samuelis matris; „nolite multiplicare, loqui sublimia gloriantes. (2) Quorsum illa

(1) Psal. 11. v. 3. (2) Lib. 1. Reg. c. 2. v. 3.

Eclesiastes„ stultus verba multiplicat.„ (1) Quorsum illa Eclesiastici:„ qui multis verbis utitur, lędet animam suam.„ (2) Quorsum illa etiam Proverviorum, in multiloquio non deerit peccatum. (3) Quorsum ad summam, ne ambo fędera percurrantur, illa alia Jesu Christi loquendi modum homines edocentis.„ Sit autem sermo vester est, est; non
„ non: quod autem his abundantius est à
„ malo est. (4) Quorsum autem ea recidant testimonia, perquam perspicuum est. Non igitur suadenda, non laudanda eloquentia est; sed dissuasione, et vituperatione dignissima.

Sed nec allata oracula in rem cadunt, et tantum à sincerę eloquentię reprehensione

(1) Cap. 10. v. 14. (2) Cap. 20. v. 8. (3) Cap. 10. v. 19. (4) Mat. C. 5. v. 37.

Scriptura abest; ut in hac non semel illa laudetur. Nec vero magniloquę linguę nomine gravem, solidam, opportunamque magniloquentiam interpres ullus intelligit; sed stultitiam eorum, et insolentiam, qui se de suis dolis, et fraudibus jactant, et ut statim vates ipse regius subdit, effutire non dubitant; „ linguam nostram magnificabimus, labia nostra â nobis sunt, quis noster Dominus est? (1) Idipsum sibi voluit Anna Samuelis parens, scilicet audaciam detestatur, ac elationem eorum intolerandam, qui in scientia, divitiis, opibus gloriantur. Quapropter addit: Deum scientiarum dominum esse; arcum fortium superatum, et in firmos robore accintos:

(1) Ps. 11. v. 4.

„Dominum mortificare, et vivificare, de-
„ducere ad inferos, et reducere: esse preter
„ipsum, qui pauperem facit, et ditat, hu-
„miliat, et sublevat.„(1) Tres autem illę Ecle-
siastes, Eclesiastici, et Proverbiorum senten-
tię, eo respiciunt; ut multiloquium, quod
verè stultiloquium sit, qualis est Blate-
rerorum sermo vituperent. Qui enim plu-
ra, quam oporteat, verba faciat; aut men-
tiatur, aut detrahat, aut vana saltem,
et inutilia proferat, necesse est; quod et
ad stultitiam pertinet, et animam sau-
ciat, ideoque vituperationis est dignus.
„Absit vero, ait Augustinus, ut multi-
„loquium deputetur, quando necessaria
„dicuntur, quamtalibet prolixitate dicantur.„(2)

(1) Lib. 1. Reg. Cap. 2, à v. 3. (2) Lib. 1. retract. in prolog.

Multiloquium igitur, et pauciloquium, hoc est plura, pauciorave, quam expediat, vitium est, copia autem oportuna verborum, vel paucitas virtus: et hoc quidem veræ, germanæque eloquentiæ est; illud fucosæ, et inanis.

Restat Christi Domini testimonium, quod de jurejurando affirmationi rei alicujus, negationive non adjiciendo ab omnibus intelligitur. Hic itaque verborum Domini sensus est: si quid ex vobis quæretur, testesve in rem aliquam adhibebimus, est dicetis dumtaxat, aut non: scilicet asserite, vel negate, jurejurando minime dato. Quod enim simplici responsioni illis subjicietur, id à malo certe fonte manabit: non quòd jusjurandum omne sit malum, sed quia malam habet originem; nempe quod

aut is quicum loquimur, credere non vult; aut ipse, qui loquitur, levis est animi; juris-jurandive sanctitatem minime reveretur: aut simili ex causa. Propterea,, falsa ju-
"ratio, ait Augustinus, exitiosa est, vera
"periculosa, nulla secura.,, (1) Atque, ut ex-posui, Scriptura in eloquentiam nihil. Quod autem pro illa sępe loquatur, Salomonis parabolę in quinto, decimo sextoque capite testes sunt. Hic namque, ut supra attuli, summis ipsa laudibus ad cęlum extollitur, ibi,, linguam sapientium ornare scientiam,, dicitur. (2) Verum hęc hactenus.

Nam et alius sic argumentari potest. In eloquentia probanda tum hominum judicium, cum Sanctorum veterum judicio

(1). Serm. 25. Verb. Apost. (2) Prov. Cap. 15. v. 2.

non congruit. Utro autem standum sit, vide; tuo, an Patrum? At hi discendi artem despiciunt, eloquentiam reprehendunt; quin etiam barbarismos, aliamque sermonis vitia, vel in praepositionibus, vel in casibus, vel in positione verborum consulto vitare noluerunt. Hieronimus enim Jonę librum interpretans, quem, „inquit, non inebriavit eloquentia secularis?
„ Cujus non animos compositione verborum,
„ et dissertitudinis suę fulgore perstrinxit?
„ Dificile homines potentes, et nobiles, et
„ divites, et multo his dificilius eloquentes cre-
„ dere Deo: obsęcatur enim mens eorum di-
„ vitiis, et opibus, atque luxuria, et circumda-
„ ti vitiis non possunt videre virtutes, simpli-
„ citatem Scripturę Sanctę non ex majesta-
„ te sensuum, sed ex verborum judicant

„utilitatem.(1) Hęc Hieronimi sunt; illa Grego-
rii, scilicet Magni.„ Ipsam artem loquendi,
„quam magisteria disciplinę exterioris in-
„sinuant, servare despexi. Nam sicut hu-
„jus quoque epistolę tenor enunciat, non Me-
„thacismi collisionem fugio; non barbaris-
„mi confusssionem debito; situs, motusque prę-
„positionum, casusque servare contemno: quia
„indignum vehementer existimo, ut verba cę-
„lestis orationis restringam sub regulis dona-
tim.„ (2) Denique quod orationis genus Doc-
tores Angelicus, Irrefragabilis, Subtilis, Fur-
datissimus, Eximius: quod multa alia Scho-
lę lumina pręclarissima sunt sequuti. Nempe
tenue, simplex, inelegans, et sępius barbarum;
at veritate, et gravitate refertum, vique, ac

(1) In cap. 4. Jonę. (2) Epist. ad Leand. pręf. in Job.

robore communitum.

At si quis sit, qui ad eum, quem dixi, modum argumentetur; primum ei respondeam, nec Hieronimum, nec Gregorium sermonis integritatem, aut elegantiam despicatui ducere; sed illum in eorum fulgurare, ac tonare perversitatem, qui luminibus, et coloribus eloquentiæ abutuntur ad vitium; hunc vetare, ne in pura, furtaque locutione servanda nimii simus, et quasi prodigi; in sententiis vero deligendis, rerumque præcipue maximarum inquisitione facienda "temerarii, et inconsiderati, aut parci saltem, et negligentes." Mavult enim, quod dese Tullius ait, indissertam prudentiam, qu"am stultitiam loquacem." (1) Ac Hieronimus

(1) Lib. 3. Orat. Cap. 35.

quidem eum, qui indissertus sit, imperfectum appelare non dubitat; cum ad Nepocianum scribens, „melius esse, dicat, ē duobus imperfec„tis rusticitatem habere sanctam, quam elo„quentiam pecatricem. (1) Sic porrò de eloquentia Maximus Eclesię Doctor dissenit, ut de divitiis, opibus, et nobilitate: hęc scilicet omnia bona fore, vel mala, salubria, vel noxia: prout iis homines vel utantur, vel abutantur. Jam eloquentiam addiscere nolle, aut vituperare, quod pravus ejus usus ad malum valeat pluximum; est, Augustino doctore, Rege Philipo, non sapere, sed decipere. (2) Quid enim tam est bonum, ac expetendum, quo non abuti possimus? Est autem eloquii scientia bona, ā Deo

(1) Epist. 34. (2) Lib. 4 de doct. Christ. Cap. 2.

que propterea profecta, teste Bernardo, si
„quis enim, inquit, caret ingenio, si quis ni-
„tit eloquio, inde est, à Deo videlicet, de quo
„loquitur.„ (1) Nihil ergo aliud, quam pra-
vum eloquii usum Hieronimus damnat.
Magnus autem Gregorius verebatur, ne,
cum et Divini, et perdifficilis libri inter-
pretationem aggrederetur, sensum mi-
nus recte assequi posset, si in grammaticis,
Rethoricisque preceptionibus curiosius im-
moraretur. Postremo Beatissimus Tho-
mas, eumque secuti gravissimi alii Scho-
lę Doctores tenuiter, inornatè, sępeque
à latinitate remote loqui se, expedire for-
tè putarunt, ut Arabibus sic ea tempes-
tate, et scribentibus, et loquentibus, et A-

(1) Serm. 43. super cantic.

ristotelis philosophiam summa non solum ignorantia, sed etiam molestia fœdatam adversus Catholicæ Religionis dogmata adhibentibus, bellum aptè indicere possent, de ipsis que commodius triumphare.

Atque hæc quidem mea est derationе loquendi sententia, in qua et illustranda, et suadenda multus fortè fuerim, et ineptus ad summam et stultitiam, et molestiam. Nec si inabile rectè locutioni ingenio causari velim: ab esse à reprehensione temeritatis possim: qui contrà stulti loquentiam dicere, veram que eloquentiam prædicare, cum stultilocus ipse sim, et ejus rei mihi conscius, non vererer. Sed et ea audatiæ meæ excusatio est aliqua, quod vestri causa id, Discipuli, oneris mihi susceperim: et hanc

in me pęnam statuo, ut, quę sequuntur, ea non nisi lęviter transeam, et tantum modo perstringam.

CAPUT. 3.M

VTRVMNÈ VNÀ CVM LOGICES PRÆCEPTIONIBVS CRITICÆ ARTIS LEGES TRADENDÆ SINT.

Dicam equidem, quoniam id sequitur, quid de Logicę tractandę sentiam. Cum enim innumerabiles ejus artis libros editos videa, paucissimos tamen, in quibus quidquam de Critica pręcipiatur, invenio. Quod si Logicam cogitandi artem dicimus, omnibus ipsam similiter definientibus; mutilam, imperfectamque illam ejus tradendę viam exi-

timo, quæ nihil Criticæ artis redoleat. Namque
ars recte cogitare deceat; de judiciis ipsa præ-
cipiat, necesse est. Judicium siquidem et co-
gitationem esse, et cogitationum præstantis-
simam, dubitat nemo. Quæ autem judiciorum
præcepta tradat, ea in primis caveat, oportet,
ne injustis, falsive rebus judicandis decipia-
mur: nam hoc in judiciis præcipue spectandum
est, ac præcipiendum, ne res aliter, quam pro
eo, quantum in quibusque sit ponderis, æsti-
metur. Criticam autem artem esse, ne in
hoc peccetur, prohibentem, nondum vos o-
blitos arbitror, auditores. Hoc igitur ars il-
la vetare debet, quæ de cogitationibus doce-
at. Quæ ergo disciplina cogitationum præ-
cepta continens, saltem præcipua, id non ca-
veat; imperfecta est, ac mutila judicanda.

Illa autem disciplina Logices certè est. Logicem igitur, in qua Critices desiderabitur mancam, et imperfectam fore relinquitur.

At enim Criticę pręceptiones, et plures, et dificiliores sunt, quam ut adolescentibus una cum vulgaribus Logicę regulis explicari debeant. Illas igitur omittere, quam in Logicam fastire; prestat. Quid, quod nihil ad ęquam rerum ęstimationem sine prudentiá Critices prodest? Quocirca qui prudens erit, ut Criticam nesciat, optimè nihilominus judicabit, imprudens contrá licet Criticę peritissimus, iniquissimè, Accedit eodem, quod, qui se ad ejus artis studium dedunt, superbi, ac pertinaces fieri solent, maxime adolescentes, quorum ętas ad arrogantiam proclivior est.

Verum quis sibi persuadeat, ita nos Criticis regulas tradi velle, cum Logica adolescentibus explicatur, ut tota quanta, quanta est, sine ullo delectu doceatur? Non sic ulla adolescentibus exponitur disciplina; sed breviter, exigue, summatim. Pariter Criticę precepta ipsa in Logica locum habere volumus: ut non omnia penitus sint tradenda, sed cautenda, et delibanda nonnulla, quibus initiis, ac fundamentis tota deinde moles facile valeat excitari. Quare nec legum multitudo, nec dificultas obesse potest, ne Logicę Critica comitetur.

Quod autem nihil, prudentia remota, Critica prosit: satis non est profecto, ut non debeat Logicę accedere. Multi enim ejusmodi virtute ornati reperiuntur, quibus esse

possit maximè fructuosa. Nam sic, qui Criticę rudis erit, se in rerum ęstimatione geret, ut in ratiocinatione ille, qui artis Logicę est inscius: atque ut hic sępissime ratiocinando, sic ille, judicando, ęstimandoque decipietur. Quod additur ad extremum nullo id negotio diluitur. Si namque illud staret nullam adolescentibus disciplinam tradere deberemus. Cum scientia Apostolo teste, inflet; pertinax igitur reddetur, superbus vè Critica is fiet, qui volet, qui ea abutatur; ut scientia, qui eadem abuti velit, se efferet, ac inflabitur insolenter. Ac ut Criticę ita scientię cujusvis Deus est autor, qui nobis eo concilio omnes concedere disciplinas statuit, ut eas in ejus laudem, nostrique usum adhiberemus.

CAPVT. 4.m

VTRVM LOGICÆ PRÆ=CETIS IMMISCENDÆ DIS=PVTATIONES SINT, AN NE SVB PRÆCEPTORVM FI=NEM TANTVM INSTITV=ENDÆ.

Huic autem est illa dispar adjuncta ques=tio, num toti Logicę disceptationes dispergi de=beant; an nulla sit, nisi sub ejus finem pertrac=tanda? Postremo prestare contendo. Qui enim ad disputationem aggrediatur, quidquid de perceptionibus, de judicijs, de ratiocinationi=bus, de dispositione, de nominibus item, ac propositionibus, de sylogismo, de vero, ac fal=so, certo, et incerto, probabili, improbabili que

præcipitur, scire debet. Hæc siquidem omnia ita in quæstionibus locum habent, ut sine illis nulla ritè haberi valeat disputatio. Qui autem ea ipsa teneat præcepta Logicæ, omnia eum opportet ipsius artis dogmata intellexisse. Qui ergo disputare aggrediatur, omnia is Logicæ præcepta teneat, opportet. Prius igitur hæc tradi, quam disputationes instituantur, satius esse relinquitur. Tempus enim tunc disputando teritur, cum ea, qui disputat, quæ scire debet, ignorat; et hæc quidem nobis videntur.

Sunt autem, qui contra se rem habere autumant, quorum argumenta discutite. Quo citius, inquiunt, disputare sciant, adolescentes, eo citius ad veritatis inquisitionem apparabuntur. Citius autem disputare scient, si prius disputare ingredi-

antur, quam Logices præcepta omnia cognoverint, prius ergo disputationibus exerceri, quam leges ejus artis omnes audierint, satius est. Neque vero tempus in disceptando teritur istiusmodi. Disputare siquidem perquam utilis ipsis est: ingenium namque disputationibus acui nemo ambigit. Neque hoc ita à nobis dictum, volumus intelligendum, ut nullas adolescentibus disputandi regulas prius explicari, quam disputare incipiant, contendamus. Nonnullas, præcipuas tradi volumus; omnes nolumus.

Ad argumentum binis verbis respondeam. Aut enim priusquam disputationes ingrediantur, eorum gnari præceptorum adolescentes sunt, quæ ad rectam disputandi rationem necessaria habentur; aut secus.

Si primum respondeat adversarius, à nobis stet, necesse est. Nihil enim eorum, quę supra exposuimus, non ad disputationis institutionem rëquiritur; siquidem ita, ut par est, instituenda sit disputatio. Quod si ita est, non sunt inter Logicę pręceptiones de mentis scilicet cogitationibus, de harum signis, de Critica, & de cęteris tandem disputationes ullę impartiendę; sed omnes sub ipsarum pręceptionum finem tradendę: ne tempus, quod ipsę Logicę, quę ejusdem pręcepta sunt, transmitti debet, inutiliter disputationibus traducatur. Sin alterum respondebit inutile prorsus fore conficitur, quidquid aliter, ac volumus disceptabitur; aut saltem non ita fructuossum, ut post pręcepta omnia Logicę intelecta: qd examus quidem perficere aggresi.

CAPUT 5.m

NUM QUA VERITAS, AUT FALSITAS IN PERCEPTIONIBUS LOCUM HABEAT.

Sequitur de idearum veritate, ac falsitate. Qua de re quatuor video ferri sententias. Unam, ut neque veritas, neque falsitas atribui debeat perceptioni: alteram, ut capax ea sit utriusque: tertiam, ut veritatis quidem particeps omnis idea sit, sed falsitatis nulla: tum quartam, ut nulla esse valeat idea ejus veritatis expers, quę formalis Logica dicitur; sed objectivę tamen possit. Harum postremę assentior, quâ duo, ut est perspicuum, continentur. Primum ita conficio. Formalis veritas Logica est, vel ideę secum ipsa, vel judicii cum ideis, ē

quarum collatione nascitur convenientia. Hujus autem veritatis nulla esse potest idea expers. Nulla igitur est, Logica veritate forma-li multata. Propositio ipsa est formalis veritatis logicę definitio: assumptionis probatio sic se habet. Quę idea ejus convenientię sit expers, secum ipsa non congruit. Nulla autem idea esse potest, quę secum ipsa congruat. Nulla igitur ejus convenientię non particeps. Propositionem tam esse videtis dilucidam, ut nihil eam attineat approbari. Assumptio autem esse falsa nequit, nisi verissimum illud, „idem nequit simul esse, ac non esse„ veritatem posit exuere. Nam quę idea secum ipsa minime consentiret, simul, ut patet, et ipsa esset, et illa esse ipsa desineret. Ejus igitur logicę veritatis, quam formalem Logici vocant, nulla est idea

quę possit esse non particeps.

Alterum autem sic, ut exposui, se habere, hoc mihi argumento persuadeo. Logica objectiva veritas, nihil est aliud, nisi cogitationum cum ipsis, quę cogitantur rebus consensio. Multę autem esse possunt ideę, quę non cum rebus, quę percipiuntur, consentiant. Multę igitur perceptiones veritatem ejusmodi non participant. Assumptionem veram esse concludo. Nam multę sunt ideę, quibus res alius modi, ac in se ipsę sunt, percipiuntur. Hę autem non cum rebus illis conveniunt. Multę igitur perceptiones cum iis, quę percipiuntur, rebus minime congruunt. Propositionis hęc est ratio. Multę fuerint perceptiones ejusmodi, ut, aut eas contineant notas, quibus percepta res caret, aut iis careat, quas res illa

ipsa, quę percipitur, continet. Sic idea mentis corporeę, Dei non sempiterni, hominis incorporei, aut eas notas complectuntur, quę cum rebus perceptis, scilicet mente, Deo, et homine plane repugnant, aut iis carent, quę rebus illis ipsis consentaneę prorsus sunt. Prima enim corporis notam, qua mens caret omnis, amplectitur; mens etenim nulla corporea. In altera sempiternitatis, ut ita dicam, atributum, quod Deo non convenire non potest, desideratur: quinimo opositum reperitur. Tertia incorporeum hominem, qui corpore constat, ostendit. His autem ideis aliter res percipiuntur, atque in se ipsę sunt. Esse igitur perceptiones possunt, imo sunt aliquę, quibus, res, non ita, ut revera sunt, representantur, et cognoscantur. Atqui eę à rebus, quę

percipiuntur discrepant: quę autem ita sunt, objectivę sunt etiam logicę veritatis expertes. Sunt igitur ideę, quę istam non participant veritatem.

Sed ut veritas, inquit aliquis, ita falsitas in afirmatione, aut negatione consistit: nulla autem est idea quidquam ajens, aut negans. Nulla igitur idea reperitur, quę possit esse vera, vel falsa. Conficitur propositio. Veritas, vel falsitas in eo sita est, quod quidquam sic vel aliter esse mens determinet. Hęc autem determinatio ipsa est afirmatio, aut negatio, quod cuique patet. Cum veritas igitur, tum falsitas in negatione, aut afirmatione consistit. Quid, quod si perceptio vera esse potest, vel falsa, quod inre, quę percipitur conveni-re posit, aut secus. In ipsos corporis sensus veri-

tas sępe, et falsitas cadat: quod nemo sanus affirmet. Sępe namque res, ut in se ipsę sunt, ita sensibus percipiuntur. Si hoc igitur non est satis, ut non esse fateri cogimini, quo sensibus veritas, aut falsitas tribuatur: nec satis esse posse relinquitur, ut ea perceptionibus concedatur. Sanctus Thomas accedit, qui veritatem negans intelligentię percipienti congruere; tunc ipsi convenire, ait, cum ideas conjungit, aut separat, quod affirmare, vel negare est, verbo, judicare. „Quando intellectus indicat, Thomas ipse „Aquinas philosophatur, rem ita se habe„re, sicut est forma, quam de re apprehen„dit, tunc primo cognoscit, et dicit verum, „et hoc facit componendo, et dividendo.„ (1) Con-

(1) 1.ª p. Sum Theol. qq 16. art. 2.

cluditur ergo idipsum, quod hic Sanctus Doctor concludit, si proprie loquendum sit „veri„tatem esse in intelectu componente, et divi„dente, non autem in sensu, neque in inte„lectu cognoscente, quod id est. (1) Hæc scholasticorum ratio mulcit.

Quibus varus modis veritatem, ac falsitatem intelligi, respondemus. Si namque cognitionis cum eo, quod cognoscitur, convenientia, vel discrepantia ipsius cognitionis veritas, et falsitas constituitur, utriusque participes afectionis esse ideas judicamus. Nam et ita, ut inse sunt res exhiberi possunt, et aliusmodi. Hoc autem intelectu in ideas veritatem et falsitatem cadere contendimus. Fateor equidem aliter intelligi posse utramque afec-

(1) Idem, ibidem.

tionem, sic nempe, ut pro affirmatione, et negatione sumatur. Ejusmodi autem veritatem, et falsitatem longe ab ideis, quibus nihil affirmatur, sive negatur abesse debere concedimus. Ex quo fit, ut non contra, sed a nobis stare Doctor Angelicus videatur. Non enim is ideas cuivis veritati, et falsitati subesse negat, sed illis, quæ in idearum compositione, ac divisione consistunt: quas et judiciorum proprias esse, et propriè veritatis, falsitatisque nomen habere decernit. Stat ergo sua cuilibet cogitationum generi veritas, et falsitas; licet ea præcipue censeatur, quæ ut in affirmatione, et negatione reponitur, sic ad judicia solum spectat. Quod de sensibus interponitur, cum non ipsa corporis organa, sed mea per ipsa, suas

que sensibus veritatem, si cum rebus conveniant sensationes, tribuimus: sin discrepent falsitatem.

Occurritur nobis insuper ab aliquibus, omnes nervos contendentibus, ut etiam ejus falsitatis, quam formalem dicunt, participem esse posse ideam persuadeant. Nisi perceptioni, ajunt, formalis logica falsitas congruat; nequit ipsi formalis logica veritas convenire. Ejusmodi autem veritas, nobis judicibus, ei congruit, et falsitas igitur formalis logica ipsi conveniat necesse est. Propositionem approbant ad hunc modum. Contrariorum est atributorum eidem subjecto inesse posse vicissim, ut Logici omnes præcipiunt. Sunt autem, quod negat nemo veritas illa, et falsitas atributa contraria.

Debent igitur eidem subjecto inesse posse vicissim. Atqui earum subjectum percep-tiones sunt. His ergo inesse vicissim posse debent. Tam igitur veritatis, quam falsita-tis ejusmodi perceptio est particeps: neque alteram habere potest, nisi aliter valeat subjacere.

Atque illis respondeo, fore quidem veritatem, ac falsitatem atributa contraria, cum ad subjectum, cui inesse vicissim poterunt, re-vocentur, ac ideis, etsi formalis logica veritas inest; nequit tamen similis eis falsitas inhære-re: cum fieri nullo pacto possit, ut idea, res ve quælibet secum ipsa non congruat. Quo circa, ut veritas illius in perceptionibus re-periantur, similem tamen iis falsitatem contingere non posse, relinquitur: atque a-

deo huice veritati, cujus semper idea quęlibet particeps est, nullam esse oppositam falsitatem; sic ei, quę realis, ac methafisica dicitur, veritati nulla falsitas adversatur: cum res suo quęque exemplari ita respondeat, ut nequeat, non ei omnino congruere, nisi una sit, et non sit, quod fieri nulatenus posse natura quisque duce summa perspicuitate cognoscit.

Eorum argumenta logicorum restant, qui nullam nec objectivam quidem falsitatem ideis contingere posse contendunt. Nulla, inquiunt, perceptio a re, percepta discrepare potest. Ejusmodi autem discrepantia ipsa est falsitas, quam dicitis objectivam. Nulla est igitur idea, quę vel objectivam habere valeat falsitatem. Propo-

sitionem sic se conficere arbitrantur. Si qua percepti[illegible] a re quæ ipsâ percipitur, discreparet, ea sine dubio esset, quæ rem aliter, ac in se esset, menti repræsentaret. Idea autem nulla rem, quæ percipitur aliusmodi, atque in se est repræsentare potest. Nulla igitur à re, quæ percipitur, discreparet. Assumptionem sic approbant. Quævis idea, aut rem exhibet, exhibendam; aut aliam ab ea, quam exhibere deberet. Jam si rem menti exhibeat, quam ostendere, ac exprimere debeat, v.c. Petrum; non eam aliter, atque in se est repræsentet. Sin autem aliam, ut Paulum pro Petro; Paulum sic, ut se est, menti ostendat; Petrum autem nec sic, nec secus, sed nullo modo; cum Petrus minime sit perceptus, sed pro eo Paulus. Ex quo

perspicuum est, ut licet â Petro dissentiat idea, non â re tamen, quę percipitur, scilicet Paulo. Quapropter Pauli, qui percipitur, vera est idea; at Petri, cum ipse haud percipiatur neu vera, neu falsa, sed nulla.

In hoc quidem argumento et adversarii exultant, et olim triumphasse me ipse confiteor, sed cum veritatem tueri sententia sit, nec ab illis sentio; nec â me ipso juniore, et indoctiore stare, mihime licere constituo. Sic ergo existimo esse ideas, quibus res secus mentis repraesententur, ac sunt, ut hominis incorporei; Angeli corporati; Dei non justi; idque generis plurimas. Has autem, ut secum convenire concedam, ideoque ejus veritatis esse participes, quę formalis dicitur; eam tamen, quę objectiva vocatur, est

que in eo, ut dixi, sepius, sita, quod perceptio
rei percepte respondeat, carere contendo.
Quod autem idea Paulum praeterit, aurum-
ve praeter argentum referens, vera sit Pauli, vel
auri cognitio, verum vero et argentum, qui
minime percipiuntur, nec vera, nec falsa, sed
nulla; ultro assentior modo ne Paulum, vel
aurum aliter, atque in se sunt, representet:
quod si continget, falsa erit talium rerum
cognitio, ea videlicet logica falsitate, qu-
am objectivam Logici dictitant. Verum
nec videre me fateor, quid inde, quod sen-
tentiam labefactare nostram valeat,
enascatur; et ipsam reliquarum veri esse
simillimam, mihi videor ostendisse.

CAPUT 6.^M

EX IDEIS NE JUDITA CONFLENTUR; AN SIMPLCES MENTIS FUNCTONES HABERI DEBEANT.

Proximum est, ut doceam, simplicem mentis actum esse judicium; non ê multis ideis copulatum: quod persuaderi facile potest. Judicium enim ejus est relationis perceptio, quę pluribus in ideis reperitur. Hęc autem ipsa perceptio mentis est actio ita simplex, ut non ê multis ideis componatur. Juditium enim est ejusmodi, ut non ex idearum multitudine existat. Assumptionem ex eo veram esse concludo, quod ideę, quarum relatio judicii ope cognoscitur, non sint

cognitio, perceptiove illa alia, qua ipsarum relatio deprehenditur, quę quie ipsum est, ut patet, judicium. Quod si ita est, ut revera est, ex illis juditium minime fit. Esse illud ergo simplicem mentis actionem, sequitur; non ex collatis ideis copulatam.

Contra dicuntur hęc; nisi judicium nostrum composita sit mentis actio, ab eo qd Angelis proprium est, nihil interit. Interesse autem debet, ac discrepare, ut nemo non videat. Est igitur mentis actio composita. Propositio sic ostenditur. Angelorum judicium actus est simplex: nisi ergo nostrum composita sit cogitatio, cum Angelico, ut ita dixerim; differre non poterit. Sed utriusque judicii discrepantiam inde nasci falsum est, quod alterum compositionis

particeps, expers alterum sit. Hoc itaque aliud ab alio interest, quod ideę nullę judicium Angelicum antecedant; nostrum vero perceptiones anteire debeant confitendę. Angeli namque nec ideas, ut judicent, nec judicia, ut ratiocinentur, comparant inter ipsa; atque adeo nec ita, ut homines, judicant, nec ratiocinantur. Conclusiones in principiis, effectus in causis, has in effectis, in subjectis tandem attributa eximię mentes illę cognoscunt: in quo utriusque situm est judicii discrimen, non in eo quod Angelorum judicium simplex sit, hominum vero ex ideis copulatum: pergat quis objicere nihilominus. Res quęvis ex eo quod ejus materia sit, componatur necesse est: sic ex ferro clavis constat, ex ęre nummus, ensis ex calybe;

sunt autem judicii materia perceptiones: ex his ergo constare debet; ideoque composita humanę mentis est actio. At vera oportet à falsis distingui. Materia siquidem duplex est, altera ex qua res, cujus est materia, conflatur, quo exempla pertinent superiora: altera circa quam id, cujus esse dicitur, materia versatur; sic cogitationes humanę mentis artis Logicę materia dicuntur, Medicinę morbi: naturalia corpora Physicę: nec ulla tamen ex his disciplinis ē rebus circa quas versatur, effecta est. At ideas quidem fateor materiam esse judicii, circa quam mens judicans ipsa versetur; non ex qua componi ea actio debeat, quam judicium appellamus.

Urgeat tamen, ac nihil remittat,

quoniam inquiet: ideę sępè compositę sunt. Quidni et judicium? Ad quod respondeo, ideam fieri posse nullam, quę sit mentis actio composita, quod ad ejus naturam spectat; spiritalia enim omnia simplicia. Quod cum rem percipere valeamus, quę composita sit, quę idea rem compositam exhibebit, aut simplicem quidem, sed atributis multis ornatam, aut rei, quę partibus constet, similem quodammodo, atque, ut ita dixerim, ęquivalentem, ex representatione composita dici potest, quamquam ex natura simplex omnino sit.

Concludat tandem ille ipse, vel alius hoc modo. Enunciatio, seu propositio oratio est, subjecto, prędicato, copulaque contenta; unum ajens, aut negans de

alio. Judicium ergo est cogitatio ex ideis, aut conjunctis, aut sepositis constans. Consecutionis ratio est, quod signum ei, quod refert, convenire oporteat, siquidem verum ejus signum esse debeat, et vocari. Judicii autem signum est, te, Petre, judice propositio. Si hæc igitur terminis constat; illud ex ideis confletur, oportet: prætereaquam quod judicium nullum fieri potest, nisi subjecti, et atributi, et copulæ ideæ habeantur. His ergo judicium omne tenetur. Quodvis enim ex eo constat, quo remoto, esse non potest.

Sed quid cogitatio ad vocem? quid ad enunciationem judicium? Cogitatio quælibet spiritalis est, atque ideo judicium cogitationum princeps est itidem spiritale, propterea que partium penitus expers. Pro-

positio vero, vel enunciatio oratio est, idea que ex vocibus, quę corporeę sunt, revera composita. Hoc, fateor, est judicium cum propositione commune, quod aliqui sic esse, vel [illegible]iter, ut ipsa propositio, sic judicium pronunciet, ac definiat; quod satis est, ut signi ratio habeatur: ac natura tamen alterum, ab altera tan est distinctum, quam quod maximè. Quod autem, remotis ideis, judicium haberi non possit, argumento non est hoc ex illis constare. Sic subjecto, termino, et fundamento relationis sublatis, relatio ipsa pęnitus tollitur, quę simplex nihilominus est, nec è tribus adjunctis illis efecta. Innumerabilia ea sunt certe, quę, ut aliud existat, et ipsa existere debeant, nec illud tamen conflant ullo modo, hoc est in judiciis reperitur, quę perceptiones

ē quibus ipsa non constant, et anteunt, et anteire aetent. Habetis hac de re quid sentiam.

CAPUT 7.M

VTRUM PRÆSTET ATERI, JUDICIO NÈ INGENIUM, AN VERSA VICE.

Adjungam etiam de ingenio, ac judicio, ut et idea sit, et utrum pluris fieri debeat, cognoscatis. Ac ingenii quidem nomine eam humanę mentis vim intelligimus, quà homo res acutè, ac celeriter invenit; ex eo cogitat, mente consequitur. Quo circa definiri ab ipsis probè arbitror, qui ingenium esse dicunt, mentis in excogitando velocitatem, solertiam, perspicacitatem. Judicium autem, prout hic illud accipimus, non in excogitando, sed in

apta horum, quę excogitata sunt, et inventa selectione, ac delectu versatur. Quapropter mentis esse vim dicimus, apta ab ineptis, certa à dubiis, ab improbabilibus probabilia, vera à falsis internoscendi. His itaque perstitutis, non modo ingenium judicio præoptandum existimo, sed ut quisque sit ingeniosissimus, judicio esse maximè inops.

Quod ad primum atinet sic concludimus. Ingenium est, ut ante diximus, expedita inveniendi, vel excogitandi celeritas. Judicium inventorum apta est consulta discretio. Pręstat autem inventa discernere commodatè, quam celeriter invenire. Est enim satius, ut mentis compoti cuique pateat, rectè, quam cito cognoscere. Ingenio ergo judicium pręstare relinquitur.

Postremum, quod mirum cuiquam forte sit visum, ac peregrinum conficiamus. Quo quis ingeniosior est, hoc est, in excogitando celerior, hoc plura animo prebiter currit: ut autem quisque sit in excogitando celerrimus, ut animo plura prebiter currat, ita judicii minimum habeat, etsi non semper, fere tamen necesse est: recte siquidem rerum estimationi celeritas officit cogitandi: nimio cogitationum precipitantia errorum omnium fons est, ac origo, quibus judicia hominum corrumpuntur. Vix enim, ac ne vix quidem, idearum relationem perspiciat, qui citissime cogitavit. Quodsi huicce velocitati cogitationum accesserit multitudo, mirum est quantum perturbationis, et confussionis judicia suscipiunt. Quis tan-

dem ingeniosissimos neget esse sanguineos:
cum judicio fere nullo præditos comperiamus?
Quæ omnia magno mihi, discipuli, argumento sunt, solertissimo cuique judicii minimum esse; atque adeo tantumdem de judicio cujusvis decedere, quantum ingenio ejus accedat.

Etenim capacior animus pluris eo, qui minimus capax sit, ab omnibus duci debet. Ecquisnam mentis tenuitatem magnitudini, stupiditatem subtilitati, tarditatem non præponere, dicam, ausit, sed exæquari? At mentis captus non a judicio, sed ab ingenio proficiscitur. Nam quo major est cuilibet perspicacia, ac memoria, cognoscendi, ac excogitandi facilitas, in quibus ingenium esse positum, vel nosmet

ipsi assentimur; hoc est, habetur, et existit ad intelligendum capacior: non est ergo cum ingenio judicium conferendum. Ad hęc humanę mentis magnitudo ex idearum numero, ē celeritate, ē facilitate, ē perspicuitate, ac distinctione, quę ad ingenium omnia referuntur, exoritur. Non ingenio igitur judicium, sed huic illud prestare relinquitur. Quid quod pituitos, quibus nullum est ingenium, omnium hominum ad scientias ineptissimi putantur.

Denique quo quis ingeniosior est, hoc est solertior, hoc accutior, et perspicatior: quo autem accutior quis, ac perspicatior sit, eo et facilius, et clarius relationes idearum percipiat: quo tandem clarius quis, quo facilius ejusmodi percipiat relationes;

hoc judicio pollebit excelentiore; hoc res æquius æstimabit, et apositius. Quod si ita est, ut quisque erit ingeniosissimus, ita consultissimum fore, concluditur.

Ad argumenta sic respondere ingredior, ut ea, quæ mentem efficiunt perfectiorem magnitudinem, capacitatem, soliditatem (non digna quidem vocabula, quæ mentibus inderentur, at aptiora non habeo) statim expromenda suscipiam. Et magnitudo quidem tum verarum idearum, tum veritatum perspicue cognitarum numero definitur. Captus deinde perspicacitate, memoriæ facilitate, ac firmitati judiciorum, et ratiocinationum perfectione metimur. Tum soliditatem e præcipua cognitionum veritate, quæ in cogitationum ipsarum cogitatis cum rebus consen-

sione consistit, æstimandam esse censemus. Quæ cum ita sint ejus mentem hominis magnam, capacem, solidam dicimus, et putamus, qui multa quidem percipit, judicat, ratiocinatur; non ut cumque tamen, non celeriter, sed vere, perspicuè, distinctè. Neque vero homines eum mentis, ut ita dicam, amplitudine, capacitate, soliditate nominandum existimant, qui ideas habeat innumerabiles: eas facillimè conferre inter ipsas possit, de iisdem scitissimè, ac diutissimè ratiocinari; quod ad ingenium quidem spectat: sed quid idearum res, ut in se sunt, referentium multitudinem comparaverit: earum relationes perspexerit: ideo que quid rei cuique conveniat, quid repugnet, quid verum, quid falsum, quid probabile, quid improbabile, quid dubium de-

nique putandum sit, intellexerit. Quæ quidem omnia magnam exigunt animi attentionem, cogitationem, vigilantiam, assiduitatem, verbo tandem uno, judicium. Hoc in iis, qui pituita abundant, exiguum est, quamobrem ad scientias omnium ineptissimi habentur.

Nam ex corporis constitutione, vel ut ajunt temperamento, ingenium, memoriam, judicium, alias demum mentis affectiones quodammodo pendere, cognoscitur. Corporeæ autem constitutionis, ut Medici docent, duo prima sunt genera, simplicis unum, alterum mixtæ. Simplices quatuor ab illis numerantur, pituitosa, sanguinea, colerica, melancolica. Mixtæ, quæ scilicet è simplicium varia commixtione conflantur, plures sunt, quam ut eas facile recen-

rere possimus. Jam, qui homines pituitosi sūt, memoria quidem valent, sed ingenio tamen, judicio que nullo fere potiuntur: quare fit, ut incertos, ac dubios plerumque eos hęsitare videamus. Sanguineis ingenium cum sit, deest judicium. Hoc etiam illis cum superioribus est commune, ut laboris impatientes sint, decides, occultarum rerum, atque sublimium contemplationibus impares. Melancolici ingeniosi quidem sunt: at mente confussi, timidi, hęsitabundi. Colerici denique ingeniossi, circunspecti, meditabundi, judicii acris, et solidi, non jocosi, nec indiligentes, aut instabiles; sed serii, sed impigri, sed stabiles. De mixtis autem constitutionibus, omnia in illis aut mixta reperiuntur; aut illi parti, vel humori respondent, qui in reli-

quos dominantur. Sed illuc reddeo.

Quod itaque adjicit adversarius, quo solertior quis, et accutior existat, hoc eum facilius, et clarius idearum relationes inspecturum, si veras, si reales, ut ita loquar, relationes intelligat, negem: sin falsas re ipsa, sed veritatem sola veritatis specie simulantes, non diffitear: nam etsi cogitandi, quod sepè diximus, celeritate multa, et brevi quidem animo comprehendimus; non sic tamen, ut intellectę in se res sunt, celeriter cognoscuntur: aut certè id rarò contingat. Itaque multo minus ad mentis perfectionem, ac excelentiam pertinet, invenire velociter, quam cogitare prudenter, ingeniosi autem est hominis celeriter invenire; ejus verò, qui judicio valet, accuratè cogitare, consultò cognoscere. E quib.

perspicuum esse videtis, non ingenio solum præstare judicium, sed id ferè contingit, ut quo quis plus habeat ingenii, hoc judicii minus obtineat.

CAPUT 8.um

NUM QUANDO CUM SCIENTIA, FIDES, AUT OPINIO VALEAT CONSOCIARI.

Restat nobis, ut de scientia cum fide, aut opinione societate dicamus. Utrum verius, aut probabilius esset, scientiam cum fide, vel opinione posse conjungi; an cum illa ipsa harum quamlibet omnino pugnare, diu, multumque, juvenes, dubitavi: nam et ea, quibus conjunctio docetur, argumenta multa mihi, et gravia admodum videban-

tur; et quibus oppositum confici solet ratio-
nibus, eas tanti ducendas esse putabam, ut
vix arbitrarer amatoris esse sapientiæ ipsis
non medulitus assentiri: nihil deinde autorum
vel numerus, vel excellentia, de ambiguitate,
ac hesitatione demebat. Utrinque enim viros
stare clarissimos, qui summam virtutis, et inge-
nii prestantiam consequuti esse noscerem.

Ac me quidem diutissime cogitan-
tem, meque cum animo ista volventem, ratio
ipsa in hanc præcipue sententiam duxit, ut
arbitrer, nulli posse contingere, ut quidpiam
et sciat, et simul aut credat, aut opinetur.
Quare duo hic esse videtis hoc mihi tempore
conficienda: qui scientiam rei teneat ali-
cujus, ejusdem ei fidem esse non posse: dein-
ceps nec opinionem. Primum ergo scientiam

cum fide; tum opinionem ipsa cum scientia conferre decrevimus. Ac si volumus ejus rei, quam scientiæ nomine omnes intelligunt, considerare naturam, reperiemus, eam cognitionem esse veritate, firmitate, perspicuitate distinctam. Notarum autem harum nulla illi deesse potest cogitationi, quæ apud Philosofos ejusmodi appellatione dignatur. Neque enim vos fugere arbitror auditores, duo potissimum scientiarum genera Dialecticis esse notissima, simplicis, ut ipsi loqui solent, intuitionis unum: alterum prætera demonstrationis. Nulli veritas deficit, nulli firmitas, nulli claritas, perspicuitas, evidentia.

Tria enim cogitationum genera sunt, quæ ad intuitionis scientiam spectant.

Aliæ ad intelligentiam, partim ad conscientiam, reliquæ ad sensus respiciunt. Primi generis, quæ sunt, intelligentiæ axiomata nominantur, ut quæ eidem sunt æqualia inter se æqualia sint necesse est: nihil simul esse, ac non esse quit. Hæc, hisque consimilia sola purarum intellectionum collatione perspicimus. Alterius deinde conscientiæ axiomata, vel pronuntiata dicuntur: ut esse nos, cogitare, velle, nolle, cætera, quæ sensu quisque intimo, omni remota ratiocinatione persentit. Tertii denique experientiæ vocantur axiomata: ut soliditatem esse magnitudinem, lucem, colores, motum, idque generis plurima, quæ perspicua sensatione cognoscimus. Hæc intuitionis scientiæ sunt: demonstrationis verò, quidquid è superiori-

bus ritè concluditur. Quis autem aut axiomatibus, aut inde nascentibus cognitionibus veritatem, firmitatem, perspicuitatem deese contendat?

Age, nunc fidei naturam consideremus, ut scientiæ consentiat, necne, deprehendere valeamus. Ac fides, assensio ex auctoritate, ab omnibus definitur. Si Dei sit auctoritas divina dicitur fides; sin autem hominum humana vocatur. Fides itaque ei esse dicitur, qui, quod nec intellectione pura, nec conscientia, nec sensu, nec profecta inde ratiocinatione cognoscit: id verum existimat nihilominus, ob id quod ab eo, quem scitum, probumque judicat, enarratum acceperit. Ex quo fit, ut nihil sit ab ea cognitione, quæ scientia dicitur, fide disjunctius. Quinimo sic utriusque dissimilitudo utramque dissociat, ut earum

fieri nullatenus valeat copulatio. Quare, qui scire simul, et credere quidquam posse aliquem disserat; hunc ego pugnantiam loqui contendo. Qui namque propositionis alicujus teneat scientiam eum non modo perspicuas terminorum ideas habere, sed ipsarum convenientiam, aut discrepantiam dilucida perceptione cognoscere, nemo inficiatur, aut dubitat. Contrà in illo, qui fide ducitur se res habet: ideam quidem subjecti habet, atque atributi, at modo claram, modo obscuram, interdum distinctam confussam aliàs; nec eorum percipit relationem, quam nihilominus esse credit sic, vel aliter, scientia fretus, et probitate narrantis. Jam relationem idearum percipere simul, et non percipere pugnantia certè sunt. Nequit ergo idipsum unà credi, ac sciri.

Atque, ut hanc, quam sequimur opinionem Sanctissimorum pariter, et doctissimorum esse virorum intelligatis: quorumdam luculentissima proferam testimonia. Testis enim est Augustinus, qui, propterea, „ inquit, nos credere juberi, quia id, quod „ credere jubemur, videre non possumus. (1) Magnus etiam Gregorius, quem illud sæpissime inculcantem video, fidem earum rerum esse, quæ non aparent, neque videntur. (2) Testis Leo itidem Magnus, qui fidei virtutem in his, quæ visui non subjacet, constitutam esse declarat. (3) Testis Cyprianus, qui in eo meritum nullum fidem quærere, docet, quod conspici potest. (4) Testis

(1) Lib. 13. de Trinit. Cap. 1. (2) Hom. 26. in Evang. (3) Serm. 18. de Passion. Dni. Cap. 2. (4) Serm. de Nativ. Christi.

Bernardus, qui hanc non esse, inquit, laudem, aut meritum fidei, quod factum viderimus credere: imo nullam de his, quæ videantur, fidem existere. (1) Testis Doctor Angelicus fieri posse negans, ut idem ab eodem credi simul, et sciri contingat. (Secunda secundæ Quest. art. 5. Testis iterum ac sæpius Augustinus, qui fidem esse, ait, assentiri non visis, cujusque fidei mercedem videre, quæ nondum visa creduntur. (2) Quid, quod argumentum non aparentium fidem esse, Apostolus ipse Deo videlicet aflatus scripsit? (3) Sed ne multus sermo ad multum etiam mane protendatur; primæ orationis parti finem imponimus: eoque ma-

(1) Serm. 10. in Cena Dñi. (2) Serm. 29 de verit. oporit. (3) Ad Hebreos. Cap. 11. v. 1.

quis, quod satis jam constare arbitror scientiam fidei conjungi non posse.

De opinione autem similiter dissero, fieri posse neutiquam, ut ea scientiae socia, vel comes existat. Scientia enim, ut ante dixi, nulla est, cui firmitas desit. Quo circa cui homini rei cujuspiam scientia erit, is nutare non poterit. Nutat autem in eo ipso quod cogitat, opinatur, titubat: ne secus se res habeat, metuit: ut enim certi scientia est, sic opinio incerti. Cum namque quemadmodum ab Stoicis definiebatur, nihil aliud opinio, quam imbecilla mentis assensio, obnoxiaque falsitati (1) Jam idem nequit cuiquam certum esse, ac incertum. Nemo titubare simul potest, atque in hoc ipso, in quo nutat, firmum

(1) Cic. Lib. 4. Tusc. qq. Cap. 7.

esse, ac instabilem. Nullus id cui firmiter assentitur, probare simul valeat titubanter. Nemo igitur unus homo est, qui, quod sciat, hoc est, quod vera, quod firma, quod clara cogitatione perspexerit: illud simul ipse valeat opinari. Propterea ejusdem rei opinionem, et scientiam non penitus esse, nec contingere, idem simul opinione, ac scientia cognosci, aptissime dixerat Aristoteles (1) Cui Sanctus Thomas consonans, scientia, inquit, cum opinione simul esse non potest de eodem; quia de ratione scientiæ est, quod id, quod scitur, existimetur esse impossibile aliter se habere; de ratione autem opinionis est, quod id, quod est opinatum existimetur possibile aliter se habere. (2)

(1) Prim. post. Cap. 26. (2) 2ª 2ª Q. 1. art. 5.

Habetis meum de scientia cum fide, atque opinione societate judicium, auditores; quod aut sequemini, si probaveritis, aut verò stabitis, si aliud quoddam est vestrum, in quo neque vobiscum nimium pugnare decrevi; neque hoc meum, de quo tam sæpe hac exili oratiuncula asseveravi, umquam affirmare verius esse, quam vestrum. Potest namque non aliud mihi, ac vobis, sed mihimet ipsi aliud alias videri. Vos autem, velim, si vobis ea, quæ hactenus disputavi, minus probabuntur, ut, aut majus opus, et difficilius institutum putetis, quam ut explere cumulatè, ac plenè potuerit, aut dum vobis rogantibus voluerim obsequi, verecundia differendi, disputandi me impru-

dentia succepisset.

Nunc ea videamus, quę contra ab aliquibus disputantur. Dubium, ajunt, non est, quin ea sciantur, quę demonstratione probentur. Multa autem ista conficientur, quę fide insuper contineantur, atque adeo credantur. Sic et Deum esse unum, à Christianis creditur, Philosophis, et demonstratione conficitur; sunt igitur aliqua, quę scientia, et fide simul tenere possimus; nihil ergo vetat, ne scientia fidei committetur. Quinetiam Ethnicus, sola magistra, et duce natura, Deum esse cognoscens, Christianę militię nomen dare constituat; id ipsum credere debet „ Accedentem namque ad Deum oporr„ tet credere quia est, et inquirentibus se re„ munerator sit „ Apostolus ipse testatur. (1)

Quid, quod Deum esse, articulus est, ut certis fidei? Ex quo sequitur, ut duo illa consociari quandoque debeant, ne dum possint.

Ad objecta respondeo, qui demonstratione quisque concludat, eadem illum scire necessum esse, aut prorsus, nego, qui Deum esse sciat, ei hoc ipsum esse credendum. Neque enim ullus id credere jubetur, quod credi omnino non potest. Credi autem illud [illegible] nequit, quod scientia tenetur, propterea quod perspicuitatem, ac evidentiam scientia sibi omnis vindicat. Fides contra tenebras, atque obscuritatem, atque ut claritati, ut luci, umbra et obscuritas adversantur, nec eodem

(1) Ad Hebraeos. Cap. 2. v. 6.

loci, quo idem sint, eo illo modo esse possunt, aut inveniri: sic cum scientia fides pugnat, nec eadem in mente consociatas unquam reperiatis. Itaque, qui ad Deum accedere paganus statuat, ei satis est, ut Deum existere, ac juste omnes remunerari, credere, sit paratus; si aut evidentiam, quam hujusce rei cognitionem habeat, non haberet, aut haberet quidem, sed eam amitteret aliquando. Nec aliud profecto Paulus indicat, cum accedentem ad Deum credere, dissexit, opportere, quia est, et inquirentibus se remunerator existat. Dixerat enim, fidem esse sperandarum rerum substantia, argumentum non aparentium. (1) At quod scitur, quis dicere ausit non apparere? ut illud respondeat.

(1) Ad Hebraeos Cap. v. 1.

re omitam, quod doctissimum vissum esse Philosofis, ac Theologis reperiu, objecto Apostolum testimonio Deo, ut gratiæ auctore locutum: quo scilicet intellectu, scientiæ objectum esse non potest. Denique tam „Deum „esse, quam alia hujusmodi, quæ per rationem „naturalem nota possunt esse de Deo, non „sunt articuli fidei sed præambula ad arti„culos:::: nihil tamen prohibet, illud quod „secundum se demonstrabile est, et scibile, ab „aliquo accipi, aut credibile, qui demonstra„tionem non capit, ut Doctor docet Angelicus (1)

At enim si hæc valeant, fidelis rusticus certior sit Deum esse, quam Christianus Philosofus; cum hic scientia id teneat, ille fide, quæ scientiam omnem superat firmita-

(1) 1.ª Part. q. 22. art. 2.

te: sed falso. Nam scientia illa Christiani Philosofi Divino testimonio confirmatur, cum ille duplici via Deum existere teneat, demonstratione videlicet, Divinaque auctoritate. Erit ergo homini ejusdem simul scientia, et fides. Prorsus nego. Aliud est enim scientiam auctoritate roborari Divina; aliud fidei conjungi, unaque cum illa ipsam manere. Assensus fidei, et firmus est, et obscurus: illi autem Philosofo tametsi, praeter scientiae firmitatem, fidei quoque firmitas est, cum absit obscuritas, fides id circo illa de re ipsi absit, necesse est, nec fidem cum scientia conjungit, nec illo fidelis rusticus certior est. Propterea etsi Doctor Angelicus fidei cum scientia eadem ipsa de re conjunctionem judicet

repugnantem; tamen Dei testimonio scientiam docet reddi firmiorem. Postquam enim dixit, scientiam omnem ex principiis haberi notissimis, atque adeo perspectis, ac visis, quod est in causa, cur fieri nequeat, ut idem ab eodem sit vissum, vel scitum, ac creditum: postquam docuit posse contingere, ut, quod ab uno sit vissum, aut scitum, id ab alio sit creditum; cum et quę de Trinitate nos credimus beatissima, videant Angeli; et quod in hac vita ipsa mortali ab aliquo vissum, aut scitum est homine, id alius, quod demonstratione ea de re careat, credat: cum hęc, inquam, omnia statuisset Angelicus; (1) post quæstiones aliquas docet, (2) sicuti parvę scientię hominem certiorem, firmioremque de

(1) 1.ª 2.ª q. 1.ª in orat. 4. (2) ibid. q. 4. art. 8. ad 2.^m

eo quod à Docto viro aliquo accepit, quam de eo quod sua sibi nixo ratione videtur, sic iure potiori de eo quod à Deo accipit, qui falli non potest, hominem esse certiorem, quam de iis, quę propria ipse ratione, quę errori obnoxia est, cernit.

Urgeant nihilominus. Quę fide tenentur, nemo ea dixerit ignorari; quę autem non ignorantur, sciuntur profecto. Quę igitur credunt, ea et scita esse relinquitur. Sed propositione concessa, assumptionem non improbare non possum. Quęso itaque, adolescentes, status illos memoria repetite, qui hominum menti, quoad rerum cognitionem attinet, contingere possunt, ignorantię videlicet, dubii, opinionis, fidei, scientię. Quibus recognitis apparebit, qui dubitat,

opinatur, aut credit, eum nec ignorare, nec scire. Dubitans enim revera cognoscit: opinans, et credens similiter: non tamen ille firmitate, hic claritate, quę, ut scientia habeatur, est opus. Ex quo fit, ut non omnia, quę non ignorantur, sciri debeant; cum eorum aut scientia, aut dubium, aut opinio, aut fides haberi possit. Quare, ut quę fide tenentur, ea minime nesciantur; non scita tamen, sed credita dicimus, et putamus.

Deinceps, inquit alius, ipsa rei scitę perspicuitas, mentem numquam incitat ad credendum. Christus enim Dominus Thomę de suo in vitam reditu dubitanti, quia vidisti me, Thoma, inquit, credidisti. (Joan. Cap. 2.° v. 29.) Quid ergo pronuntiat,

Quominus id credamus, quod scientia eximus consequuti? Nos autem id falsum dicimus a quo totius argumenti adversarius ducit exordium. Neque in rem cadit increduli exprobatio discipuli. Quid Salvatoris nostri verba ad scientiæ, et fidei consotiationem? „ Aliud Thomas vidit, aliud credidit: Christi „ Christi conspexit humanitatem, ipsius au„ tem credidit Deitatem: hominem vidit, et „ Deum confessus est, dicens: Dominus „ meus, et Deus meus.„ Quod sane responsum a Sanctissimis Ecclesiæ Doctoribus: Gregorio scilicet Magno, et Thoma Aquinate desumpsimus. (1)(2)

Sic aliquis postremo concludat. Quæ pugnantia non sunt, ea fieri potest, ut ali-

(1) Hom. 26. in Evang. (2) 2.ª 2.æ q. 1. art. 4. ad 1.m

quando socientur. At scientia cum fide non pugnat: utrique namque veritas, utrique namque firmitas, utrique perspicuitas inest. Atque omnes cum veram, tum firmam etiam fidem esse concedunt. Restat perspicuitas, quam tametsi scientię claritate minorem, esse tamen aliquam Apostolus edocet. Cum enim de cognitione, quę fide nititur, loqueretur, „nos, dixit, videre nunc, „hoc est, dum vivimus hic, per speculum in „ęnigmate.„ (1) Itaque dum credimus, etsi non ita, ut dum scimus, dilucide mente videamus; videmus tamen, Deo quidem ipso judice, ut proxime ante posuimus. Age dum lucem luci confer te, visum visui, claritati denique claritatem. Illustrior certe, ac splendidior, cum obnubi-

la, tenebris que aliquibus involuta non pug-
nat. Quinimo illi adveniens, ipsique con-
juncta ejusdem auget, ac perficit splendo-
rem. Non est igitur cur scientia cum
fide jungi non possit. Verum nihil est,
adolescentes, quod tam facile expedire
possitis. Equidem, qui credit, fide re-
ducitur, eum cognoscere, ac intelligere
fateor; alias non credere, sed ignorare
dicendus esset. Has intelligit, ut Deus
ipse per Apostolum docet, in ęnigma-
te, id est, obscurè, cum ęnigma ē greco
obscura sententia, vel questio latine
vertatur. Credens namque quamqui-
am rei creditę notiones habet. Notio-
num tamen harum relationem non
percipit: in quo est porro fidei obscuri-

tas constituta. Scientiae jam vero, et ejus, quod scientia consequitur, clarae sunt ideae; et harum relationis idearum perspicua cognitio. Pugnat autem cum de cognitionis absentia ipsa cognitio. Et cum fide igitur scientiam pugnare relinquitur.

Sed illis jam aures acomodemus, qui alteram propositionis partem se rentur labefactare. Jam, inquiunt, gaudio tristitia, quam firmitati imbecillitas adversatur: interdum autem voluntas una ipsa rem aliquam tristitia simul, et gaudio prosequitur. Nihil est igitur quod impediat, quominus idem et firma, et imbecilli cogitatione, id est, scientia, et opinione una, eademque

intelligentia cognoscat. Quod de tristitię cum gaudio conjunctione paulo ante sumpsimus, sic, ut nihil clarius ostendatur, eficimus. Christum enim omnium Dominum, et assertorem hominum necem una timuisse legimus, et optasse; doluisse simul, ac esse lętatum. Mori quidem, ut humanum genus Diaboli tyrannide oppressum, in libertatem vindicaret, ardebat. Sed alapas, sed verbera, sed spinas, sed convitia, sed clavos, sed crucem, sed mortem denique ipsam, quod suę essent humanitati contraria, perpeti refugiebat. Et primum quidem edocet Isaias, oblatum esse Dominum, dicens, quod voluerit; non invite scilicet, sed libenter. (1) Posterum à Sanc-

(1) Cap. 23. v. 7.

tis Matteo, Marco, et Luca narratur: Christum ajentibus, mœrore, tristitia, languore, pavore, et tędio percussum (1) Quæ cum sint, mærorem lętitię eadem in voluntate conjungi, atque adeo eadem in mente scientiam, et opinionem posse concluditur.

En ecce in Herculeum, ut adversarii aiunt, nodum incidimus, difficiliorem videlicet, et arctiorem, quam ut facile valeat expediri. Gordius tamen non est, opinor. Argumenti ergo propositionem accipimus; assumptionem contra negamus, quę neutiquam ex his, quę subjiciuntur, efficitur. Neque enim eadem prorsus voluntate necem Dominus exoptavit, ac metuit; neque ex uno, eidemque

(1). Mat. Cap. 26. v. 38. Marc. C. 14. v. 33. Luc. C. 22. v. 43.

fonte męror, lętitiaque manavere. Divinę
Domini Christi voluntatis, et ejus insuper
humanę, quę appetitus dicitur rationalis
erat quidem tormenta, et mortem deside-
rare, amare, lętari: naturalis autem,
ejusve, quę appetitus sensitivus vocatur,
pati, et mori reformidare. Pati ergo, mo-
rique velle, ac nolle contraria quidem
in se ipsis esse concedimus; sed quod ad
Christi voluntates spectat, pugnare
non poterant: nam velle Dei, et ratio-
nis erat humanę, nolle vero naturę, ac
sensus. Cum itaque una, eademque pror-
sus voluntas non esset: nullus esse potu-
it voluntatum conflictus. "Si enim ho-
"mo vult unum, ait Angelicus, secundum
"apetitum rationis, et vult aliud secundum

„appetitum sensitivum, non est hic aliqua con-
„trarietas. Quid, quod non idem omnino ex-
probat Dominus, et timebat? hominum op-
tabat salutem; mortis acerbitatem time-
bat. Ex humanæ salutis amore desiderium,
et gaudium. Ex necis acerbitate timor, et
dolor exorti sunt. Quocirca ut eadem om-
nino voluntas, rem prorsus eamdem tris-
titia simul, et gaudio persequi nequit:
sic nec scientia, et opinione quidquam
intelligentia eadem ipsa consequi potest.

Sic denique argumentatur. Quam
rem scientia mens teneat: eamdem po-
test per medium, ut ajunt, probabile si-
mul attingere. Cognitio autem à medio e-
jusmodi proficiscens, opinio certè est. Res
igitur eadem opinione simul, et scientia

cognoscitur aliquando. Propositionem ex eo firmam esse constat, ex iis Deum v.c. existere, ac mundum administrare ipsius rerum universitatis ordine, atque pulchritudine nissus, demonstrare potest; unaque id ipsum opinari, alii probabilibus tantum argumentis ductus, et motus: ut quod in id Plato, Aristoteles, nobilissimique Philosofi omnes consenserint. Sit sane id verum, quod nobis objiciunt, posse mentem, quam rem scientia complectitur, ipsam probabili dumtaxat medio cognoscere: modo absit omnis formido, exuletque erroris incurrendi timor procul ab animo. Non enim quæcumque probabili medio nititur cognitio; ea opinatio statim, vel opinio dicenda est; sed illa solummodo, quæ menti

formidinem afferat, ne se res aliter habeat, atq.e cognoscitur. Ac sciens quidpiam dubitare se illo nequit, aut in metu esse, ne contra ac censet, se habeat res: quod si desit, opinari non potest, tametsi probabili etiam argumento rem illam ipsam eum intellexisse ponamus.

Sed posita, inquiunt, causa, efectus ponatur, necesse est. Opinationis autem causa medium est probabile. Hoc igitur habito, et illa dubio procul habetur. Propositionem sic accipimus, ut causam sequatur efectus, nisi quid, quominus sequatur, impediat: alias improbamus. Qui rem quamdam scientia consecutus sit, eamdem opinari nequit, quamvis argumenta ejusdem rei habeat probabilia. Scientia namque

cum cognitio firma sit, prohibet, ne mens suscipere quoque valeat opinionem, cui propria est, ut supra dictavimus, imbecillitas.

Hęc ego ferè in variis Philosophorum et veterum, et novorum scriptis videbam, quę libanda, et tradenda putarem de prima Philosofię parte, scientia videlicet cogitandi. Sed in vos intuens, auditores, doleo: quorum in adolescentiam per medias, opusque laudes quasi quadrigis vergentem, transversa incurret misera Poeticę nostrę conditio. Iam nunc etenim cogitationes prospicio, quenam eorum studia futura sint, quibus cum de his, quę à me didicistis, agetis: quanta sit excitanda tempestas, quanta immineat institutioni vestrę procella. Hic me dolor, hęc me

cura solicitat, et mecum omnes quibus et Academia, et literæ curæ sunt, socios ejusdem et amoris, et anxietatis. Vobis fabeo, vos vestra fluit scientia; et fidelitate desidero: ea vobis amicitias, et necessitudines omnes, quibus scriptorum meorum memoriam renovare, atque augere possitis. Ex vobis duplex me afficit timor: ne et ipsi Academia careatis, et illa vobis. Vos tamen (etsi cursum ingenii vestri premere conatur hæc importuna clades Hispaniæ) continete vos in vestris perennibus studiis, idq. eficite, quod jam propè modum, vel plane potius efeceratis, ut vos ex ea, quam ego in hunc librum congessi Philosoforum turba eripiatis; nec in vos

decet uberrimis doctiorum auctorum doctrinis ornatos, quas cum domo audire non possetis, ex ea accersibistis urbe, quę scientiarum omnium domus semper est habita, numerari in vulgo Philosoforum. Vestra, mei Juvenes, Academia; vestrum hoc est curriculum, hic vos non modo graviorum artium instrumento animum excoluistis, sed et linguam acuistis exercitatione dicendi, et honestorum Academicorum exemplo decus omne virtutis cum summa Philosofię laude junxistis. Valete igitur, mea desideria, vobisque persuadete, mihi vos esse carissimos quidem, sed mul-

tò fore cariores, si contumaces, si ma-
ledicos Philosophos repudiabi-
tis, Philosophiamque ipsam
tuebimini, ut adultam
virginem castè, at
que ab impruden-
tium amato-
rum impetu,
quoad ejus
facere po
teritis,
prohi-
bebi-
tis.

ELEMENTA
PHILOSOP.